



*Siet. 4° 64*

CONCIO  
POENITEN-  
TIALIS,

Superdicto Paulino ad Ebræos

Cap. VI. versu 4 - 8.

Apud Hemipolitanos

In

Æde D. VIRGINI Sacra

d. 4. Martii A. 1711.

habita,

Et, ex qvorundam desiderio,  
publici Juris facta.

Autore

Samuele Christiano Seubert/Theol.

Doct. S. Reg. Maj. Boruss. Consil. Con-  
sistoriali, & per Princip. Halb. Comi-  
tatusq; Rheinstein & Hohnstein  
Gen. Superint.

---

HALBERSTADII,

Typis Carol. Schildbach. Reg. Boruss. Typogr.

ADMODUM VENERABILIS  
SPLENDIDISSIMIq;  
**C A P I T U L I ,**

Qvod Halberstadii

*DIVÆ DEIPARÆq; VIRGINI*  
inscribitur

**D E C A N O & C A N O -**  
**N I C I S**  
GENEROSISSIMIS, SPECTA-  
TISSIMISq;

**A M I C I S F A U T O R I B U S**

*Hunc*

*in Æde ipsorum Collegiata*

*habitum sermonem,*

*Velut*

*mentis addictissimæ tesseram,*

*dat, dicat, dedicat*

**A U T O R .**



## Votum.



Ater ille misericordiarum, qvi convertentem gratiam lapsis peccatoribus, & præservantem stantibus, illam ad pœnitentiam, hanc ad perseverantiam, & potest solus & vult clementer largiri. Hic velle operetur apud convertendos, & perficere in conversis. Erigat is lapsos, & firmet gressus stantium, qvo graves suos casus impii, piique suas cespitationes digne defleant. Sua nos PATER gratia, sua bonitate NATUS, sua communione beet SACER SPIRITUS, qvo gustemus vim boni Evangelicique verbi, ad Conversionem à malo, & virtutes seculi futuri, ad confirmationem in bono, qvo salutem nostram per pœnitentiam fidemque inchoemus, eandemque cum timore & tremore operemur. AMEN.

A. O. Refricat Pœnitentialis hæcce dies peccatorum criminumque memoriam, postulatqve, pro gravitate delicti, seriam contritionem, qvamque divinæ Majestati debemus, confessionem ingenuam. Sunt eqvidem *in se* peccata qvævis gravia, quantumvis Satan ea elevare gestiat, miseriique sæpe mortales frustra somnient esse qvædam minutula qvæ Prætor haud curet, qvæque, ex se suaqve indole & natura, veniam mereantur. Interim suos *habent* sceleras gradus, grandeque crimen ex aliis plurimis, instar nautici rudentis, est contortuplicatum. Contra naturam

A

obbru-

I.  
PROOE-  
MIUM.

obbrutescens peccat Sodomita. Contra conscientiam etiam Gentilis delinqvit. Christiadæ ut plurimum in mentem conscientiam &, quod dolendum, in ipsam gratiam sunt injurii. Sunt autem conscientiae vulnera lethalia, gratiae vero repudium est pestiferum, quippe quo malesani ipsam culcant medicinam. Hanc gratiam alii oblatam illicet repellunt, alii collatam mox amittant, alii diutius retentam radicesque agentem respunt per flagitia conscientiam devastantia. Tales sunt RELAPSI, qui statu gratiae excidentes iram Numinis iterum incurront. Tales, vitio suo quo laborant naturali, ulceribusque quibus scatet conscientia, superaddunt fœdum ingratiani animi crimen, fœdiusque gratiae medicinalis vilipendium. Tales atrocarbone notat Gentium Doctor Paulus Ebr. VI. Hos illuminatos, Christi, sanctique Flaminis participes, degustato licet bono verbo, delibatisque virtutibus futuri seculi, ita ait relabi, ut Filium DEI denuo crucifigant prostruantque, imo ita, ut post hunc lapsam nulla penes ipsos remaneant lipsana gratiae per quae semet iterum renovare, aut ad pœnitentiam queant erigere.

\* (quam vo. A. O. Audistis nupera Dominica \* Cananæam à tec-  
cant Remi nebris Gentilium ad lucem fidei fuisse perductam. Audie-  
niscere) tis proxima Solis die \* ejectum quidem suo palatio dæmo-  
\* (cui no- nium, sed illud ipsum cum heptade malorum Spirituum  
men est ab rediisse. Prius solatio est convertendis: Exemplum enim  
Oculis) dedit Numen se, ex propylæo orci, maledictæ profapiæ  
3000 & sceleratæ fors vitæ fœminam, eripere & ad lucem fidei  
6000 posse perducere. Posterior timorem reverentialem incu-  
tit convertitis. Ne scilicet posteriora fiant deteriora prioribus.  
Dies ergo hæc pœnitentialis, inter utramque Domini-  
cam media, ansam nobis dabit dicendi de cavendo ab illu-  
minatis RELAPSU. JESUS autem, Lapis ille Angularis,  
faxit ut resurgant quotquot ceciderunt, & ut persistent, con-  
tra quoslibet casus immori, reliqui. Hoc supplici voce  
rogabimus.

TEX-

## T E X T U S.

Ebr. VI, 4.5. 6.7.8. Αδύνατον γὰρ τὰς ἄπαξ Φωτισθέντας,  
γευσταμένες τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπιχρονίας, οὐκ μελόχες γενηθέντας πνεύματος  
αἰγίς. οὐκανον γευσταμένες θεῖ τῆμα, δυνάμεις τε μέλλοντο αὐτῶν.  
οὐκ παραπεσόντας : πάλιν ἀνακαίζειν ἐις μελάνοιαν, αναστα-  
ρέντας ἐαυτοῖς τὸν υὸν τὴν θεῖ, οὐκ παραδειγματίζοντας. γὰρ γὰρ οὐ  
πιάσα τὸν ἵππον αὐτῆς ποικλάκις ἐρχόμενον ύστον, οὐκ τὴν θεῖαν Βούλην  
ἐνθείον ἐκείνοις διὰ τοῦ γεωργεῖται, μεταλαμβάνειν λογίας ἀπὸ τῆς θεῖ.  
εκφέρεται δὲ ἀκάνθας οὐκ τειβόλυτος, αδόκιμος οὐκ καλάρεας ἐγγύτες,  
ἢ τὸ τέλος εἰς κάνυσιν.

Nam fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati,  
gustaverintque donum cœlestis, & participes facti fuerint  
Spiritus S. gustaverintque bonum DEI verbum ac virtutes  
futuri seculi, si prolabantur denuò, renoventur per pœni-  
tentiam, ab integro crucifigentes sibi metipsis Filium DEI  
& ludibro exponentes. Siqvidem terra, quæ imbre,  
sæpius in se venientem, combiberit & progenuerit herbam  
accommmodam eis quorum opera colitur, recipit benedi-  
ctionem à DEO. At quæ produxerit spinas & tribulos,  
reproba est, & maledicto confinis, cuius exitus huc ten-  
dit, ut exuratur. Ita vertit Erasmus.

Graviter A. O. errat quisquis existimat pœnitentiales  
dies esse destinatos solis convertendis, solis lapsis. Gravius  
hallucinatur qui autumat quovis trimestri à singulis agendam  
esse pœnitentiam lapsorum! Non adeo, oh! amicissimi, diver-  
sicolor est facies veri nostri Christianismi, ut fideles quo-  
vis solstitio & æquinoctio animum statumque gratiæ, Pro-  
tei aut polypi instar, mutent, modo in bono stationarii,  
modo ad malum retrogradi. Quotquot enim gratiæ di-  
vinæ, contra Pelagium, audire volunt hyperaspistæ, ita  
pro gratia declamabunt, ut suum locum convertenti, suum  
locum præservanti relinquant, nec illam per hanc, nec  
hanc per illam tollentes. Facilis est, fateor, lapsus per

naturam, sed nec plane difficile perseverare per gratiam; quam querere debemus, partam decet tueri. *Habent ergo & stantes, quam bac die pœnitentiali agant, pœnitentiam.* Habent quod discant, item quod caveant. Monendi ut persistent in gratia, perseverent in fide, proficiant in bono, tendant ad perfectionem, quam in fine vitae nascientur perfectissimam. Ante omnia hoc iterum iterumque est inculcandum. Cavete statu vestro dejiciamini. Cavete fucum diaboli pestiferum, qui veniam nactos, spe veniae impetrandæ, ad scelera cupit inescare, pœnitendaque svadet patrare, ut iterum pœnitentiam agant. Huic vaframento Satanæ opponit D. Paulus seriam in Textu, quen audistis, admonitionem, inculcandam Renatis, instar alicujus *contra recidivam & Relapsum Prophylactici.* Erant \* Cap. V, namque Ebræi, \* quibuscum agit Apostolus, *conversi, & hos inter, non adeo tenelli, quibus lac debetur,* Catechumeni, sed potius adulti, *cibo solido aspeti, sensusque probe exercitatos habentes.* Missis itaque catecheseos suæ capitibus, ad ulteriora perfectioraque vult facere transitum, monens ut tendant ad notitiam uberiorem praxinque vitae exquisitiorem, proficiendo in singulos dies, non defiendo.

2. Petr. III, Et quia hic Textus ad duovirona Paulina merito spectat,  
16. longumque iccireo prologum non admittit, ad eundem  
B.C.D. digrediemur. Sistam namque ex hoc vobis.

III. *Prophylacticum contra Relapsum Paulinum:*  
THEMA: quod depinget: (a) *Pristinum gratiæ.* (b) *Præsentem iræ.* (c) *Futurum adiuvias Statum.*

Votum) Tu vero Pater Domini nostri Iesu Christi, parens glorie, da vel hac hora nobis spiritum sapientiæ & revelationis ad agnitionem Christi! da oculos mentis illuminatos, quo intelligamus quam ampla sit spes illa ad quam vocati sumus, & quam gloriose sint divitiae hereditatis, quæ sanctos manet, quamque excellens sit magnitudo potentie versus nos qui credimus, juxta efficaciam roboris Tui fortissimi. Fac surgant quotquot lapsi,

&amp;

& perstent qvotqvot surrexerunt, qvo perseverantes usque ad finem, heic gratiæ maneamus, illic gloriæ evadamus participes. Amen.

Tribus ut omnia dicam : *Tria exponit Paulus.* Præteritum, Præsens, Futurum. Pietatem pristinam, peccatum præsens, pœnitentiam futuram. Grande DEI beneficium, gravius hominis maleficium, gravissimum *aduvapias* supplicium & judicium. Statum gratiæ, Statum iræ, statum impotentiæ. Summum unde, Medium per qvod, imum qvorsum procidant RELAPSI?

Et, qvod in limine statim monendum: Maxima pars interpretum Evangelicorum putat parallelum esse hoc dictum verbis Servatoris Marci III, 28 - 30. Ideoqve censet agere Paulum de peccato in Spiritum sanctum irremissibili. Nolim eqvidem super hac re cum qvopiam ferram contentionis reciprocare. An scilicet *in genere* de qvolibet enormi, gratiæqve excusivo peccato, ac ob id de deploratissimo peccatoris statu, agat? An *in specie* & potissimum de irremissibili illo in Spiritum sanctum? Puto autem eum qui speciem ponit, totum genus haud negare; Et rationem illam, *Marci III, 30.* subjectam, altioris esse indaginis; imo nondum ad oculum evictum, blasphemos Phariseos ad *αξυνην* illam Christianismi, qvam in textu depingit Paulus, devenisse, aut nostram peccati in Spiritum sanctum definitionem per omnia in eosdem quadrare. In primis cum de internis occultisqve viis DEI, in visceribus cordis pharisaici, parum nobis, post tot secula demum natis, constet. Imo etiam dicere haud ausim & παρεπεστόντος, & Apostatas, & peccatores in Spiritum sanctum, esse unum idemqve. *Brevibus*: suo heic qvisqve sensu piè abundet! Suggestum in præsens occupavi, non Cathedram Academicam. Loquar ergo ad captum, vestramqve A. O. ædificationem. Alio dicturus & loco & tempore qvam prope absint ab horribili blasphemia in Spiritum sanctum, nonnulli scelerati, superabundantisq; gratiæ divinæ decoctores pessimi.

Puto enim tales aliquot parasangis, aut mille passibus, ab eadem pernicie haud elongatos. Ast succinctius agamus de Textu, ad quem pro captu meo, enucleatus exponendum digrediar. Circa enim

(a) PRISTI- *Prophylacticum contra Relapsum Paulinum*  
NUS GRA- Notandum est id quod primum: Puta: PRISTINUS  
TIÆ STA- STATUS GRATIÆ: Isque gemina se sistens facie: BO-  
TUS.

nain ingressu. Meliori in progressu. Sed pessima in egressu! Ecquales, quæris, fuerunt Relapsi in ingressu & circa initia conversionis? Audin: Illuminati primò, tum Christi, porro Spiritus sancti, participes. Pergis: Qualis post conversionis actum fuit status conversorum? Accipe. Gustaverunt: sed quid?

(a) IN IN- virtutes futuri seculi: Id A. O. quod concilie dixi, probe no-  
GRESSU, vi, audire vultis explicatius. Fiet & hoc, DEO juvante.

Expendite autem primò conditionem hominis irregeniti, & quantum boni accidat Renatis? Irregenitus & impoenitens hæret in tenebris errorum scelerumque, Ite est pauperior, carens dono cœlesti, & communione sacri spiritus. Intellectus caret lumine, voluntas vacat Numinis, cōtorpet, destitutum facio flumine. Quid totus homuncio aliud? quam tenebræ, egestas, ariditas? nec Patrem habet illuminantem, nec Natum ditantem, nec Spiritum faviter agentem. Contra Regenitus & Conversus: A Patre Lumen accipit in intellectu, Natum pia & svavi affectione voluntatis, velut donum cœleste, excipit. Et sacratissimi spiritus auxilis & participio ebræ tripudiant effectus. O grande & tergeminum Trinunius Numinis beneficium, quod initiatis largitur! Hoc tergeminio maeti erant Ebræi.

Fuerunt: ERANT (A) SEMELILLUMINATI: sed quomodo?  
(A) ILLI. Non impugno piissimorum quorundam Patrum senten-  
MINATI. tiā. Nec suggillo antiquos interpretes. Hi φωλισμὸν &  
(a) Ex mente βαπτισμὸν pro uno habuerunt eodemque. Ideo baptisteria  
PATRUM. nuncuparunt photisteria, & dies lavacro Catechumeno-  
rum

rum destinatos dies luminum. Ideo augurati nonnulli pe-  
 cata post baptismum admissa remitti difficilius; eaque  
 propter nonnulli Dynastarum distulerunt baptismum us-  
 que ad lectum emortualem. Ideo concluserunt baptismum  
 esse initerabilem, quia, cum de cœna legatur 1. Cor. XI, 26.  
 στάνε, ποτε εσθίετε οὐδέτεροι, οὐδεποτε θάνατος. Pu-  
 toque, cum Theologis quibusdam, secutos fuisse Patres  
 placita Synagogæ quæ circumcisionem vocitavit aperturam  
 oculorum, additamque ideo vocalam Hephaest, cum aliis  
 quibusdam ritibus, bona intentione, sed sine necessitate, ad-  
 jectis. Interim placet mihi. Patres illuminationem &  
 baptismum, ratione effectus, habuisse pro Synonymis.  
Quotquot enim baptisati estis, induistis Christum; \* Ne quidem \* Galat. III,  
 exclusis tenellis nostris infantibus, qui per naturalem ge- 27.  
 nerationem nihil lucis salutiferæ, nihil gratiarum, nihil  
 sanctitatis intrinsecæ in hunc mundum inferunt, sed *natura*  
*filiij iræ, sicut & cæteri* \* gentilium liberi, existentes, ē regno \* Eph. II, 3.  
 tenebrarum in apricam filiorum DEI lucem protrahuntur,  
 largeque super ipsos effuso Spiritu sancto, tantum ad mini-  
 mum lucis in intellectu nanciscuntur, ut pia quadam vo-  
 luntatis affectione, tenelloque affectuum desiderio, versus  
 vulnera servatoris exardescant, suoq; nobis licet *αναλαβέτω*  
 modo, & aetū & verè credant. Atat: Qvod bona Majo-  
 rum pace dictum velim; placet hæc Patrum applicatio,  
 explicatio mihi haud satis facit. Res Paulo est cum Ebræis  
 adultis, adulta ætate baptisatis, qui sensu fidei reflexo, gustar-  
 verunt bonum verbum promissionis & promulgatæ cœli, qui  
 destinato mox lapsi animo, denuo Messiam crucifigunt, riden-  
 dumque infidelibus & profanis propinant. Talia prædi-  
 cata autem non cadunt in liberos adhuc à matre rubentes,  
 & recens admodum sacro baptismate tintos. Adhæc:  
 phrases Biblicæ non sunt confundendæ cum Patrum locu-  
 tionibus. Eaque loquendi ratio, qua illuminatio & bap-  
 tismus pro uno eodemque cœpit haberi, exente primo,  
 aut adulto secundo post Natum Christum seculo, demum  
 obti-

obtinuit. Sit tandem ita : *Q*vicunq*v*e baptisantur illuminantur qvoq*v*e. Non tamen hinc seq*v*itur, qvotqvot illuminantur illi baptisantur qvoq*v*e. Suppetunt exempla Catechumenorum qvos mors occupavit, qvos aqvæ defec*tus*, aut præmaturum martyrium, ab hac confœderationis tessera exclus*t*, qvostamen sine lumine gratiæ, ad lucem gloriosan*t* transiisse, aut ad exteriore*s* tenebras relegatos fuisse, nemo piorum dixerit, cum non privatio, sed contemtus damnet. Et præter ea : sæpe quæ qua tempus coincidunt, qua rem differunt; probeque ab invicem discernendum ordinarium illuminandi organon, ab ipsa illuminatione.

- (3) Recen.  
tiorumq;  
idq;  
(a) Mediate  
\* Eph. V, 8.  
\* I. Cor. II,  
14.
- Quare sic vos A. O. habere v&elim sentireque. Agit*  
*Paulus de istac illuminatione quam vosmet profitemini*  
*Articulo Symboli, quod dicitur, Apostolici Tertio, vi cuius*  
*Spiritus sanctus verbo Evangelico vocat, vocatos colligit, collectos*  
*charismati suis illuminat, illuminatos in vera fide sanctificat,*  
*sanctificatosq*v*e conservat. Hanc illuminationem Pater ille*  
*Luminum largitur, hanc lumen de lumine, Natus coæternus,*  
*acquisivit, hanc accedit mediis in tenebris Flamen*  
*sacratissimum. Erat ante illuminationem Ebraeorum intel-*  
*lectus obtenebratus, cor excœcatum, imo quondam re-*  
*nebrae in abstracto, \* id est ipfissimæ. Ignorat q*v*ippe natura-*  
*lis homo ea q*v*e sunt Spiritus DEI; & quicquid hinc assequitur, hoc*  
*ipsi videtur stultitia. \* Nescit sane mysteria, in primis grande*  
*illud temperamentum justitiae & misericordie, quod in redem-*  
*tionis opere occurrit, quod in justificatione peccatoris ob-*  
*vium, & in salute conferenda manifestum evadit. Quin*  
*quemadmodum tenebrae errorum obnubilabant intelle-*  
*cum, eundem in modum scelerum segetem excœcata ada-*  
*mabat voluntas. Lumine ergo opus gemino. Sed quali?*  
*An per raptus ecstaticos & coruscationes, menti immediate*  
*se insinuantes, accendendo? Puto neutiquam. Sed per*  
*Evangelium, quod sine nube fulget Sinaitica, Pauloque*  
*audit verbum illud bonum, & pluvia cœlestis, fœcunditatem im-*  
*pertiens.*

pertiens. Simul attestante Petro : *Habemus Sermonem, non fulgurantis & perterrificandi Mosis, sed Propheticum, eumque firmiorem, ipso Thaboreo lumine: Recte & vos facitis A. O. illi attendendo, velut lumini in caliginoso loco lucenti, donec in cordibus vestris exoriatur Phosphorus 2. Petr. 1, 19.* Absit (b) Plenè, vero dicam Ebræos ἀπαξ id est semel illuminatos vocari, ob subitaneam, imperfectam, fulguris instar prætervolantem irradicationem, quæ uno, brevi, momentaneo actu transiens, salutaris luculæ nomine indigna sit. Eset hoc inquis abundantem gratiam Numinis arctare limitibus, literæque textus vim aliquam inferre, præsertim cum nusquam tere locorum in Bibliis significantius & planius vere renatorum depingatur indoles. Talis videlicet, ut post *lumen, donum cœlesti*, post *donum participium Spiritus sancti*, post *participium hoc gustus & gratiæ & gloriæ*, luculenter describatur. Malo autem in Exegesi Scripturæ divinos favores ampliare quam odiose restringere. Dixero potius, hos Ebræos non fuisse ex censu eorum, quos DEUS hujus seculi excavavit, ne ilucesceret ipsis lumen Evangelii. Affirmans contra: *DEum qui quondam, cum universum hocce conderet, jussit e tenebris prodire lumen, in secunda quoque hac creatione Ebræorum corda illuminasse eis Φωτισμὸν τῆς γνῶσεως τῆς δόξης τῷ θεῷ εν προσώπῳ Ιησοῦ χριστῷ. 2. Cor. IV, 4.* Grande utique est *primum illud beneficium quod, collustrato intellectu Ebræis divinitus, fuit collatum.*

Erant (B) ditati dono cœlesti: hoc est: GUSTAN-(B) DITATES DONUM COELESTE. Qualenam, inquam, est TI. per hoc *DONUM?* & quidem *COELESTE?* & quomodo id *DE-(a) Donum. GUSTARUNT Ebræi?* Placet heic audire veterum suffragia? Regerent Patres. *Gustare* est nil aliud quam quod oblatum est mente percipere, sentireque se percepisse: *Recte hoc: Dona vero, pergunt, cœlestia quæ libamus, sunt remissio peccatorum, fides sincera, pax & tranquillitas mentis, spes viva indubiaque cœli, quarum rerum per baptismum evadimus participes.* Nec hoc male, aut analogiæ fidei

adversum. Adjicerem hisce & meum calculum, qualem  
 etiam cunque: Nisi quidem de baptismo incertum esset  
 commentum. Nisi etiam sacer Spiritus de *uno* eoque  
 $\xi\chi\omega\varsigma$  *tali*, non item de pluribus loqueretur donis. Cæ-  
 tera venerabundus agnosco innumerum donorum cœle-  
 stium numerum, descendantium à Patre Luminum. Sunt  
 fateor multæ *gratiæ DEI positivæ*, sed & plures *privativæ*; illæ  
 bonum conferunt, hæ malum averruncant & auferunt:  
 Illas miseri mortales subinde magis attendunt numerantq;  
 has minus ponderant expenduntque. Et non ferendæ  
 socordiæ ingratitudinisque exemplum est, semper quiritari  
 de naturæ vitio infirmitatibusque Sanctorum, neglecta ex  
 adverso gratiæ oblatæ collatæque insigni copia. Sed quic-  
 quid sit hujusce rei! Præstat in exponendo heic audire  
 parallelismum Scripturæ, auscultare sancto Spiritui, &  
 authenticam Servatoris arripere Exegesin, quam *Pias Pa-*  
*trum conjecturas.* Sic vero Sospitator noster Joh. IV, 10.  
 Si, oh Samaritis! scires τὴν δωρεὰν τῆς θεᾶς, donum hocce DEI, id est,  
 uti per epexegesin explicat, τις ἐξινός λέγων σοι, quisnam sit  
 ille, qui dicit tibi, da quod bibam? Est scilicet ipse Messias,  
 Filius DEI vivi; Est Petra illa, perennem vivamque, in-  
 fiticuloso hoc Mundi solo, suspeditans aquam. Est Manna,  
 quod cælitus descendens miserorum palato belle admo-  
 dum sapit. *Participes enim Christi facti erant Ebrei, dummodo*  
 $\alpha\rho\chi\eta\varsigma$   $\bar{\nu}\pi\sigma\alpha\sigma\epsilon\omega\varsigma$  dummodo fidem, quæ est  $\varepsilon\lambda\pi\zeta\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\bar{\nu}\pi\delta\sigma\alpha\tau\varsigma$   
**Ebr. XI.** & basis salutaris fiduciæ, immotam ad finem usque  
 vitæ firmiter retinuerint. Ebr. III, 14. Nam non solum exem-  
 plar est Servator, ad cuius grande instar mores suos  
 debent componere quotquot recte agere gestiunt. Sed  
 donum quoque est, quod pia fidei manu suscipiendum est  
 servandumque. Imo donum est, omnium donorum &  
 maximum & summum, & cælitus datum Terrigenis. Hunc  
 Pater supremus nobis dedit, hunc tradidit pro nobis, imo omni-  
 \*Rom. VIII, bus, non parcens Filio nec in donis, nec in pœnis; \*Uti alias nos  
 32. solemus parcere pretiosissimis, ne ea elargiamur, & ob  $\varsigma\sigma\gamma\eta\varsigma$   
 blandius

blandius agere cum Filio dilectionis. Quin hic ipse,  
NATUS semet D<sup>O</sup> obtulit pro nobis, velut Sacrificium  
cruentum & Mincha, quod d<sup>n</sup>um vocamus, D<sup>O</sup> sacratum.\* Eph. V, 2.  
\* Hoc dato dono, dantur & cetera quæ ad vitam pietatemque  
faciunt Charismata innumera, verbicausa, gratia, fides, justi-  
tia, remissio, pax, virtus & gloria. Petr. I, 3. Amici hoc Patris  
donum est amicissimum, Satanæ, seculi, & carnis, velut  
hostium dona, nec dona sunt, nec utilia!

Vide autem sis anima fidelis! ut donum quod cœlitus (β) Degusta-  
datur, non solum habeas, sed & illud ipsum gaudendo degu-  
stes. Quid profuerit donum, nisi acceperis? Quid acce-  
pisse juvat, si non læteris? Quisquis illuminatis intellectus  
oculis donum hoc cœleste cognovisti; Hoc, agnatum  
oblatumque, pia voluntatis affectione debes pariter susci-  
pere; Nisi oleum volueris perdere operamque. Non  
enim quotquot Christum cognoverunt, sed quotquot pie  
recepérunt, bis dat s<sup>z</sup>g<sup>z</sup>ot<sup>z</sup>av filii DEI ut siant. \* Notitiam allen- Joh. I, 12.  
sumque sequatur sensus piæ fiducie; saltim aliquis, si non ex-  
cellens. Quod ori corporis offertur Manna, masticando  
fit Sapidum; quantoque ambrosiam cœlestem mage rumi-  
nari cœperis, tanto magis palato arridebit, sapidiorque fiet.  
Directa enim fides, accipit; reflexa, mox acceptum gustat &  
percipit. Illa antecedit, hæc subsequitur. Ad unionem  
illa facit aditum, hæc vivum dat communionis sensum gu-  
stumque. Iccirco Regius Psaltes: videte, ait primo, &  
tum gustate quoque, quam suavis sit Dominus! qui, cum subli-  
mius nil donare queat, donarii loco, semet ipsum offert.  
Psal. 34, 9. Post visum gustus, post intellectum voluntas,  
agit quod circa fidem suum est, sed cum alterius commu-  
nicatione; Oh beatum Ebræorum Genium qui prævia  
luce intellectus cognitum bonum, magno cum voluntatis  
prolubio suscipit fovetque! Audite autem plura.

Erant (C) PARTICIPES FACTI SANCTI SPI- (C) PAR-  
RITUS? Sic ergo Ebræi, illuminante Patris gratia collu- TICIPES.  
strati, bonitate Filii ditati, Communione quoque gaudent, SPIRITUS  
B 2 Sacri SANCTI

*Sacri Spiritus!* En in atrio intellectus *Lumen!* In sanctæ  
 voluntatis sacrario *Donum* sacrificiumque, quod gustant  
 Sacerdotes mystici! Et tandem, in Sanctissimo cordis la-  
 rario, ipsum *Scheebina*, Spiritum docentem ducentemque!  
 Uti intellectus lumine, voluntas Numine, ita cor ipsum  
 sacro repletur F lumine! Atque hoc est quod subinnuit,  
 (a) qvinam? Apostolus, dicens: *Ebraeos* n̄ḡ *Etiam*, & quod amplius est,  
 $\mu\epsilon\tau\circ\chi\gamma\varsigma \gamma\epsilon\nu\eta\theta\epsilon\nu\gamma\alpha\varsigma \pi\nu\epsilon\mu\alpha\varsigma \alpha\gamma\varsigma$ . *Ipsius Sacri Spiritus parti-*  
*cipes fuisse factos.* Non latet vos A. O. quotendat Doctor  
 Gentium? Hoc scilicet vult dicere: Est omnis homo  
 caro infirma vitiosaque. *Mens* nostra immortalis est Spiri-  
 tus quidem, sed nec sanctus, nec Ter-sanctus, sed peccati &  
 $\alpha\tau\circ\mu\alpha\varsigma \alpha\pi\rho\kappa\circ\lambda\varsigma$ . Ea ergo est lapsorum conditio, ut, velut  
 Numinis exortes, tyrannidi potius mali *impurique Spiritus*  
 sint subiecti, quam ut cum Sancto quicquam habeant com-  
 (b) cujus? mercii. Interim est, quod huic nostro vult mederi vitio,  
 Numen & Trinum & Tersanctum. Est præter Patrem.  
 Natumque, in una individuaque Essentia, quoque *Spiritus*,  
 ab utroque qui spiratur, & qui, ob peculiare opus quo  
 profanos sanctificare amat homines, SANCTUS jure di-  
 citur. Cum vero nemo nunc mortalium Sanctus NAS-  
 CATUR, *FIERI eos oportet* sanctos; Et facti sunt, non nati,  
 quotquot elogio Sanctorum mactantur. Dat gratia, quod  
 negat Natura. Et est in hoc opere  $\delta\eta\pi\iota\sigma\gamma\circ\gamma\circ$  Spiritus ille  
 Gratiæ. Debuerunt huic Ebræi, quicquid habuerunt bo-  
 norum. Similes  $\tau\circ\iota\varsigma \epsilon\nu\delta\alpha\sigma\pi\circ\varrho\alpha \pi\alpha\circ\epsilon\pi\iota\delta\mu\circ\iota\varsigma$ , qui iuxta Patris  
 $\pi\circ\gamma\gamma\omega\sigma\pi\omega$ , prævisionem, per *Sanctificationem Spiritus*, ad obe-  
 dientiam fidei & aspersionem sanguinis J. C. perducti fuerunt.  
 1. Petr. I, 2. Condit hic sacer *Spiritus Templum*, dicat  
 illud dedicatque supremo Numini, exornatumque suis  
 Charismasi, ipse, velut cum Patrefilioque DEus supremus,  
 occupat inhabitatque.

(c) qvomo. Hic ipse Petrus fideles, quia  $\iota\sigma\delta\tau\mu\circ\iota\varsigma$  Ebræis  $\pi\iota\varsigma\pi\iota\varsigma$  acce-  
 do? perant, dicit factos *Oratio*  $\phi\iota\sigma\tau\mu\circ\iota\varsigma$   $\kappa\circ\mu\alpha\varsigma\pi\iota\varsigma\pi\iota\varsigma$ , *divina* scilicet na-  
 2. Petr. I, 4. ture confortes. Paulus autem  $\mu\epsilon\tau\circ\chi\gamma\varsigma \tau\circ\pi\nu\epsilon\mu\alpha\varsigma \alpha\gamma\varsigma$ . Verum

Verum diverso licet sono, eodem uterque sensu ; Mutatis licet Phrasibus, summam rei eandem uterque designans : Nempe de unione agens mystica, qua fideles triumphant. De hac *κοινωνίᾳ* & participio, filere mallem, quam pauca dicere ! Oportet interim textui facere satis. Quid hic de hac unione mystica ? *Ebræos* ab uno collocat latere ; ab altero *Spiritum Sanctum* ; & hos, ab invicem toto cœlo distin-  
ctissimos, invicem unitos contendit, sicut Ebræi facti sint  
*participes* sacri flaminis. Hoc rei caput est. Non dicit *Ebræos*  
esse per metamorphosin *deificatos* : Hoc enim est *αδύτατον*,  
ut homo DEUS fiat ; imo, si id posueris, absurdum esset  
prorsus deificatum posse deficere à Patre, crucifigere Na-  
tum, blasphemareque. Non dicit *Spiritum Sanctum esse in-  
carnatum*, aut hypostaticè homini unitum : Personalem-  
enim aut Essentialē unionem nemo, nisi Fanaticus, jacti-  
tat. Interim adstruit Apostolus, intercedere inter *Ebræos*  
& *Spiritum Sanctum* aliquam unionem communionemq;,  
eamque talem, ut illi fiant Spiritus sancti & charismatum  
ipsius participes. Paucis : ut gratiose inhabitet, & ad omne  
bonum opus animatos, blandè agit et ducetque. Ad  
hæc, scire vos velim ; hunc *Spiritum*, sub novo effusum fœ-  
dere, esse ipsummet *Spiritum Christi*, quem velut *donum cœlestē*  
actu oblatum, *Ebræos* gustasse dixerat. Nam quod Ko-  
raitæ in Canticō Ps. 45. dixerant, id hac ipsa voce Paulus *Ebr. I,*  
9. exprimit : *Unxit Te Deus, Deus Tuus, oleo exultationis προσά-  
τες μετόχες στ.* Et pro, & præ, consortibus Tuis, quos in Sacerdo-  
tali, Regia, Propheticaque dignitate habes. *Habemus enim*  
& nos *unctionem* (Sacri ergo sumus participes Spiritus) *ab*  
*eo qui sanctus est, CHRISTO, ἐν ἐν μέτερ το. 1. Joh. 2, 2.*  
Caput enim mysticum sine mensura copiam Spiritus acce-  
pit, ut ex infinita Christi plenitudine *σιτουμέτρον* nostrum  
accipientes, pro modulo nostræ receptivitatis, haberemus  
plenitudinem. Sacrum hoc *unguentum* ex Aharonis nostri  
vertice descendens in barbam vestesque, recreat omnes  
ornatque; non tantum eos, qui os domini sunt, administran-  
tibus

(d) per  
qvem?

tibus donis , sed & membra abjectissima Charismati sanctificantibus ; *Collyrium* hoc est , oculos mentis illuminans ; *Frænum* est , refractariam voluntatem svaviter à malo revocans ; *Balsamus* est , segnes affectus , odore svavitatis suæ , ad bonum excitans ; *Anima* est , quæ viva illa cadavera , torpore & acedia dispulsis , animat vegetatque ; *Calcar* est , quod aculeatis bonarum admonitionum dicteriis , lassos incitat ; *Chamus* denique , sternacem lascivæ carunculæ caballum à præcipitio retrahens . O terque qvaterque beatos Ebraeos , Gratia Patris , Bonitate Filii , & Communione Spiritus Sancti gavisos ! Perfectum dicet is esse omne Trinum ! Et perfectè ego renatos arbitror . Sed de *actu* renatorum tatis . De STATU regenitorum aliquid adhuc supereft subjicendum .

(B) IN  
PROGRES.  
SU ob  
BONA

Pristinum Statum gratiæ A. O. altera sui facie depictum audistis . Restat altera . Bona fuit Ebraeorum conditio in ingressu : Accipite nunc meliorem in progressu . Consistit , uti notum , *salus miserorum mortalium in unione communioneque cum Numine ter sancto , ter beato* . Et hæc salus gemina est : Gratiæ & gloriæ . Spei & rei . Fidei & visionis . Inchoata & consummata . Imperfecta & perfecta . Viæ & Patriæ . Viatorum & comprehensorum . Per ænigmā & per apocalypsin . Plus ultra nihil est quod habeamus in solo , aut expectemus in polo . Ideo D. Paulus hoc loco gemella affert . *VERBUM* primò , tum *VIRTUTES* . Verbum hujus , virtutes futuri seculi . Qvin quantumlibet περιστατικόν in defectione sua ad ultimum usque vitæ halitum perseverantes , reapse excidant illis bonis , quæ speque fideque sua qvasijam fecerant . Hoc tamen haud obstante , indulgente Numinе , id habent qvandoqve qvod in Statu hoc gratiæ summum & colophon est , qvodqve viator habere sperare qve potest . Habent inqvam *Promissiones Evangelicas & promulgatim cœli* , ita ut gustent bonum DEI verbum , pariterqve delibent virtutes seculi futuri . Verum , singula sigillatim contemplari est animus !

(a) GU-

(a) GUSTAVERUNT BONUM DEI VERBUM: (a) VIÆ:  
**Hoc** hujus seculi est opus, idque palmarium, & in solidum; **id** est  
**qvia** per ænigma verbi heic DEUM intuemur. Qvale ve-  
**ro** hoc est *verbum*? Qvale *bonum* illud *DEI verbum*? Et qvo (a) Ver-  
**istud** *gustumus* modo? Plané agam: De Renatis esse fer-  
**monem**, antea docui, & hoc heic iterum suppono. Procul  
**ergo** hinc verba fallacia traditionum humanarum! Procul  
**hinc** verba vana *seculi* pellacis! Procul hinc verba *Satane*  
**mendacia**! His renati pridem miserunt nuntium. Hæc  
**mala** sunt insipidaque effata. De *verbo* agitur heic, eoqve  
**divino**, eoqve *bono*! Ecqvale ergo hoc est? Geminum esse, (b) idq; Dei.  
**nostis**, uti fœdus DEI, ita & *verbum DEI*. Fœdus operum verbo  
**qvidem** superstructum est divino, sed *legali*. Et Fœdus  
**gratiæ** nititur verbo, verum Evangelico. *Bona*, in & per se,  
**est Lex.** \* Bonum, ratione lapsorum & nostri, est Evangelico. \* Rom. VII,  
**lium.** Si inutilibus votis fas esset lassare Numen, optarem  
**ego** vos omnes esse in statu integritatis adhuc constitutos, ita lacte  
**Evangelico** non haberetis opus, sed solidos durosque illos  
**cibos** legis, (qvæ operanti, non item credenti, pollicetur  
**salutem**,) feliciter mandando masticandoqve possetis  
**subigere**, inqve succum vertere & sanguinem. Atat per  
**lapsum** primorum nostrorum Parentum, ita vestrum omni-  
**um** fractus est genuinus, ita edentuli estis facti, ita cor-  
**ruptum** palatum, ita cachexia qvadam vitiatus stomachus,  
**ut si** vel maximè Structor accesserit peritissimus, nervumq;  
& nucleus legis ostendendo, in apricum hunc cibum pro-  
duxerit, nihilosecius eum digerere & concoqvere haud  
qveatis. Degeneravit in *sabulum panis*, \* qvi olim pabuli \* Prov. 20,  
instar fuit, & qvod qvondam pharmaci loco infer- 17. Es. 55, 2.  
viit sanis, id, vitio ventriculi, ægris in venenum est  
versum. Hic legis cibus, qvatenus formula est fæderis  
*operum*, palato phlegmate obducto, est ingratissimus, & fa-  
mem sitimqve inexplicablem concitabit citius, qvam ut gu-  
lam demulceat aut exsaturet. Vobis A. O. vestra culpa, post  
jacturam imaginis, lex est *mors in olla*, I. Reg. IV, 40. *odor mortis*

*tis ad mortem, 2. Cor. II, 16.* qvæ in innocentiae statu futura fuisset fragrantia bonæ vitæ ad vitam æternaturam. Fac sodes o peccatos periculum! Gusta, iterumqve degustato, legem! Et experieris, eam tibi in amare scere, eam iram operari, maledictum interminari, mortemqve denuntiare præsentissimam! Nullam lex bonitatem spirat, nihil qvod sapiat peccatori suppeditat. Interim singulari nunc Numinis beneficio *Pædagogi instar Evangelio & fæderi gratiæ subservire jussa*, conterit impiorum corda, eaque ad sanctam, de auxiliis omnium creaturarum, desperationem redigens, protrudit ad unicum illud asylum, vulnera Messiana, ut confugiant. Bono itaque hominum à Numine qvidem lex inculcatur, boni interim & amœni nil qvicqvam ex ea-

(e) idqve dem senties o Peccator! qvamdiu scilicet sub lege, extra bonum Evangelii pomœria, fueris constitutus.

\*Rom. I, 17. *Bonum ea propter DEI verbum illud est, qvod bonum nuntium affert contritis, prædicatqve justitiam qvæ venit ex fide in fidem.* \* Uno verbo *Evangelium. Hoc viam aperit ad cœlos olim deviis, veritatem docet sine umbris, ad vitam dicit qvæ perennis.* *Hoc uno complexu & per epitomen pandit universam DEI bonitatem.* Per hoc, velut organon efficax, Numen convertere & conversos confirmare voluit obsignare qve. Hoc, siqvidem devotè audire, studiosè recolere, & sancte servare volueritis, mel vobis (d) & gu. erit, Manna erit, sapidiusqve in singulos dies evadet. Le standum etum namqve placet, decies repetitum perplacebit.

Atqve hoc est qvod *gustandi* voce Paulus exprimit. Ac si diceret: Non poterit unqvam opiparum obsonium æqve corpus famelici afficere recreare qve, ac mentem anxiam egentemqve refocillat solatii plenissimum Evangelii promissum. Non poterit dignè satis de colore, odore, sapore falerni judicare abstemius. Miserumqve est glossema Rustici, qvi de faccharo, qvod nunqvam primis labris attigit, multa, qvæ fando audiit, vult effutire, narrans narrata, sterilemqve crepans & superficiariam Theoriam. Loqvor autem

autem ad vos A. O. qvos arbitror viarum DEI haud inex-  
 pertos, rerumq; Spiritualium neutiq; vam ignaros. Vestram  
 mentem conscientiam apello testem. Tete experientia didi-  
 cistis, qvām exhilaret, qvām delectet, qvām reficiat admo-  
 dum tentatos, axioma Evangelicum, aut primo inculcatum,  
 aut pia recordatione in memoriam revocatum? Mitto cæ-  
 teros, talia juxta cum ignarissimis nescientes. Qvippe qvi  
 Pseud - Evangelio mendacissimi Diaboli delectantur, Dei-  
 formitatemque aliquam expectant, dum se Daemonis volun-  
 tati reddunt conformes, Protevangelii hujus dulcedinem  
 nullatenus persentiscunt. *Qui olio allio idololatrarum, aut*  
*laſcivæ, sed fragilis, caruncula gaudent ollis,* \* horum pala-<sup>\*Exo.XVI,</sup>  
*tum, vitium sentiens, nihil sentit de talibus cupediis.* Ægris <sup>3.</sup>  
*hisce animabus, qvia nausea vel pica laborant, generofisi-* Num. XI,  
*mum vinum vappa videtur.* Et qvām vellem, id qvod sa-<sup>5.</sup>  
 tius est, vos experiri ea qvæ digne explicare neq; veo! Pro-  
 begnarus *de gustu*, ne qvidem in Sphæra rerum naturalium,  
*argutè nimis esse disceptandum.* Aliquid interim, in gratiam  
 incipientium, & ut textui fiat satis, superest subjiciendum.  
**GUSTAT** is, qvi ultra *sensum* Evangelii, qvem intellectu  
 conseqvitur, ultra *assensum*, qvem ex voluntate elicit, etiam,  
 qvà piam affectionem, sibi *conscius est* dulcoris alicujus divi-  
 nissimi, qvi ulcera mentis delinit, animum pacat, cor exhi-  
 larat, gaudium Spiritus concitat, ita ut qvi pridem dejectæ  
 mentis fuerat, per solatia evangelica erectus, velut ovans,  
 ante plenam victoriam de peccato, diabolo, inferno, canat  
 suum Epinicum, spe plenus de brabeo, qvod in medio est  
 positum, certo certius impetrando. Est enim hic gustus  
 boni verbi nil aliud quam jubilum qvoddam piæ mentis, de  
 amore Patris, Gratia Christi, auxiliis Spiritus Sancti, de qve  
 veritate promissionis divinæ, optimè sibi consciæ. Est ille  
 gustus, sensus & plerophoria, & parrhesia, se efferentis  
 fidei, qvem, post devictas tentationes, ut plurimum excipit  
 malacia, animiq; tranqvillitas insignis! Nec hoc præter- (e) sed sub-  
 eundum: Optimè ait Paulus, Ebræos gustasse bonitatem inde,  
 verbi;

verbi; Non addens, continuo eosdem aut semper gustasse.

Aliæ qvippe sunt viæ heic DEI, qvas nobiscum inambulat.

\* Jer. VIII, Propinat γλυκύπικρον, \* amara miscet dulcibus; sapienti

14. utiqve consilio, ne alterutram in partem impingamus, aut

nimis molles, aut nimis queruli. Dantur qvippe tempora

tentationum, dantur & ariditatis. Negatur qvandoqve,

non fides qvidem, sed fidei sensus. Habent subinde piu

bonum illud semen fidei, sed brumæ nivibus, ad tempus,

tectum. Habent lumen fidei, non secus ac rationis lumen

recens natiliberi; utut hi sese intelligere vivereqve nesci-

ant, vivunt nihilo feciis intelliguntqve. Vernum tempus,

sudum cœlum, Phœbum post nubila expectare decet.

Qvicqvid sub nive est in apricum proferet mitior tempestas.

Nonetenim vult coli Numen Tui, o homo, sed sui causa ab

hominibus: Non vult unicè ob sensilem svavitatem reda-

mari; ne Tuas delectationes præferas DEO super omnia.

\* Exod. XII, diligendo. Amaras has lactucas agno Paschali \* placet ap-

8. ponere, ut contraria juxta se posita magis elucescant, disca-

musque Patrem esse DEUM, & cum castigat, & cum

(b) & PA· blanditur.

TRIÆ.

(b) Tandem: Qvia, ut audistis, gustaverunt bonum  
qua sunt DEI verbum! An, dicitote, amplius qvid vineæ huic Israelis

(a) VIRTU. facere potuisse supremus vinitor? \* Utiqve o optimi!

TES.

\* Ef. V, 4. Et potuit, & fecit. Indulsit namqve in arido mundi deserto

vagantibus, præter & ultra Manna verbi Evangelici, etiam

\* Num. XIII, botrum ex valle Ecol. \* Post promissiones, prægustum &

24. promulgisdem vitæ æternæ: Gustaverunt enim VIRTUTES

SECULI FUTURI: Ecce heic vobis se sistit δύναμις non

ἀδυνατία; virtus non una sed numero plures; virtus, non hu-

jus seculi, sed futuri. Et has degustarunt, vel relapsi: De

magnalibus DEI perqvam ego minute sentirem, si dice-

rem: Tempora Novi Testamenti per seculum futurum esse

intelligenda. Et virtutes futuri seculi, nil aliud qvam do-

na miraculosa, in impios quoque cadentia, denotare. Gu-

stum vero harum rerum designare superficiarium quendam

sensum

sensum immortalitatis. Nolim certè limitationes illas per vim textui inferre, cum easdem inde efferre haud valeam. Maximè cum in Lutheranorum Theologia nulla extet hypothesis, cui inserviendo, talia infarcire Codici cogamur: Renatos namque gratia inhabitante speciali, fideq;, etiam radicata, in totum posse excidere, nemo ambigit. Absit igitur limites ponam largiori gratiæ, quam litera loquitur, & collatam prædicat, servandamq; monet Apostolus.

Porro: *Quia miserum esset genus mortalium, & ante omnes Christiadæ, si tantum hac in vita speraremus in DEum, si spei noſtre anchora non penetraret usque in adytacælorum.* Ideò Paulus seculi futuri injicit mentionem. Est namque hominibus divinitus destinatum geminum seculum. Aliud præsens est, quod vivimus. Aliud futurum, quod speramus. Habent pii promissiones hujus, imo & future vite. Solo exclusos, manet polus; gratiam excipit gloria, ex illius atriis in hujus penetralia ingrediemur; ideo verbum gustantes, delibant quoque in antecellum, quotacunque tandem ex parte, virtutes seculi futuri. Præsens ætas est ieculum infirmitatis, futura virtutis & multivariæ: *Quas heic habemus δυάμεις, illæ multis ἀδυναίαις sunt undique circumseptæ.* In cœlo autem virtus mera est magna. Hoc seculum est verbi, sed veniens illud est virtutum. Est δύναμις quæ nos per fidem, conservat ad salutem, sunt autem & δύναμεις quæ nobis perseverantibus reservatæ in cœlis & repostæ. Itur de virtute hac ad virtutes illas; properamus à primitiis ad messem, ab imperfecto ad plusquam perfectum. Hæc, aīs, bene dicta hactenus. *Quomodo autem in hoc seculo virtutes, seculi futuri gustamus?* Accipe sis: Fide non minus, quam spe vivacissima. Vis plura? Non nihil etiam prælibamus instar prægustatæ promulgidos. *Nondum, confiteor, videamus DEum, DEO interim, quod profiteor, suo modo fruimur.* Patre gaudemus adoptante, Natus donatus noster, est, primitias sacri accepimus Spiritus, imo Totius Trinitatis nobile quasi facti sumus triclinium. *Nondum quidem*

(b) seculi  
futuri.  
I. Cor.  
XV, 19.  
Ebr. VI,  
19.

I. Tim.  
IV, 8.

\* I. Pet. I, 5.

(c) Degu-  
statæ,

¶ contragio peccati per purgati sumus, nondum ab infirmitatibus liberati, nondum adiuimus hæreditatem in cœlis reposam. Hoc ambabus lubens largior. Hoc vero & vos dabitis: Persuasissimos nos vivere de remissis & nunquam in memoriam revocandis delictis, robore fidei nos induitos, Arrhabonem nos habere hæreditatis, sedesque non solum paratas in cœlis, sed & anteambulonem, caputque nostrum, istuc prævisse. Has prærogativas, hæc sua privilegia,

\* Deut. dum pii pie recolunt, gaudio quodam eminenti perfunduntur, non secus ac si Mosis instar \* in cœlestem Canaan,

\* Act. VII, aut Stephani \* Protomartyris exemplo in cœlum adaper-

55. tum, prospectarent. Ita nonnunquam in ultimata egula constitutis pii, mœroris & mortis pelagus in amarescens, stilla quadam solatii cœlestis, Deus amat edulcorare; Quos sentiant abunde justitiam, quam apud Patrem naeti, quos pacem experiantur in Christi vulneribus, quo gaudium in Spiritu Sancto percipient uberrimum, atque tam magnos animos concipient, ut insultent Dæmoni, ut tenebras se-pulchri rideant, ut favillas Erebi magno Spiritu disjiciant, ut mille tandem mortes, impulsu quodam diviniori & heroico aeti, subeant, sustineant, vineant, dulcedine quippe, suavitatis divinæ & virtutibus futuri seculi, quas delibarunt, inescati. Aſtrara bæt hora, & brevis est mora, quam, pro plenitudine superabundantis gratiae, Deus indulget, non quidem omnibus, nec semper, sed aliquando & aliquibus, pro eo ac supremo suorum donorum diribitori hoc placuerit. Felix qui vel summas has delicias in manus Numinis resignare didicit, illo contentus vivens modulo, quem arbiter optimus sapienter definiverit. Gaudebit quidem is minus, sed & minus dolebit.

Pergamus vero A.O. in exponendo quod præ manibus est  
**PAULINO, contra RELAPSUM, PROPHYLACTICO.**

acturi

acturi secundo loco. **DÆ PRÆSENTI IRÆ STATU.** <sup>(b)</sup> **PRÆ-**  
**SENS. IRÆ**

Magnifica, Dilecti, audistis hactenus ex Textu. Seqvuntur **STATUS:**  
 nunc Malefica: **PROLABUNTUR.** **DENUO CRUCIFIGUNT** <sup>ubi nota</sup>  
**SIBIMET IPSIS FILIUM DEI,** **EUMq; LUDIBRIO HABENT.** **TERMI-**  
 Dirum factum! Miram catastrophen! o versam ferum  
 faciem! *Ebrei*, qui illuminati à Patre, qui bonitate Nati &  
 communione Spiritus Sancti fruebantur, qui gaudebant  
 promissionibus Evangelicis, libabantque futuri seculi vir-  
 tutes, utique mihi videbantur caput inter sidera condere. Et,  
 ecce! hoc non obstante, tolluntur in altum: Eccur? An *UT*  
*lapsu graviore ruant*, DEO ita volente impellenteque? Absit  
 hoc: Interim tolluntur in altum, ET lapsu graviore ruunt;  
 ex accidenti scilicet proprioque ductu malitia! Ad *anu-*  
*fere & apicem Christianismi delati*, subito recidunt, proci-  
 duntque in abyssum misericordiarum ineluctabilem. Similes  
*Capernaitis ad cælum usque superexaltandis, sed ad imam inferorum.*\* <sup>Matt. XI,</sup>  
*detrahendis,* \* vel Lucifero ex cælo in cœnum, imo orcum  
 ipsum detruso. Ea proh dolor! mala voluntatis & vis est &  
*indoles*, apud homines, ut opera DEI magnifica subruat,  
 optimè destinata pervertat pessime, & non solum nascentis  
 fidei initia disturbet, sed & securos in sublimi statione,  
 segnesque in studio Christianismi, egregia magnaque ex  
 parte confecto, ad abyssum misericordiae omnis, imo ad tartara  
 præcipitet. Vigilandum itaque, orandum, sobriè agen-  
 dum, missaque acedia socordiaque, cum timore & tremore  
 saluti, vobis A. O. est studendum!

Sed hæc quoque quæ de relapsu obiter dixi, pensacula-  
 tius nunc sunt consideranda! Quoties A. O. de lapsu, &  
 prolapsu quicquam relatum auditis, Toties prima solet esse  
 quæstio, *Unde res aliqua excederit?* Altera vero, quorūsum  
 ea prociderit? Ut terminum, quem vocitant Philosophi, *a quo;*  
 & *ad quem*, agnoscamus. Et observarunt Physices Scru-  
 tatores, molem gravem, suo loco motam, ubi semel præ-  
 cipiti cursu deorsum cœperit tendere, secundum proporcio-  
 nem Geometricam, in singula momenta, celerius raptari, do-

<sup>(a)</sup> *A quo?*  
**LAPSUM.**

nec ex verticis summo ad barathri fundum fuerit delata. Tam facilem heic advertunt descensum! Contra superas evadere ad auras, id deciduo lapidi plane est *αἰδούατον*, & magna machinarum trochlearumque vi, ægrè peragunt. Architecti. Eum in modum se quoque cum relapsis res habet. Primum est: *Excidunt gratia*: hoc malum Schola vocat privativum. Alterum est: *Procidunt in flagitia*: hoc Scholasticis audit malum positivum. Ruunt autem ex malo, ad id quod pejus est, *de scelere in scelus*. Impie primo crucifigunt, tum Empæctarum more pro *Iudibrio* habent Servatorem crucifixum. Tertium est: siis semet viribus nequeunt *erigere*, nisi, velut ex Machina, Numen, injecta superabundantis gratiæ manu, eos revocaverit.

(3) *gravem.*

Quid tandem LAPSUS, & unde excidunt RELAPSI? PRIMUM: Gravis est lapsus: SECUNDUM: Gravior jactura: Eqvidem A.O. *Stat* subinde deses viator: hæc segnities in bono dicitur. *Cespitat* quandoque qui strenue currit hemerodromus: Hæc peccata sunt quotidianæ incurSIONIS. Nonnunquam, *Scrupulis* calceo injectis, inquis passibus procedit cursor: Hæc sunt dubitatiuncularum, præter opinionem injectarum, remoræ. Aliquando, ad *prominula saxa*, aut transversale lignum impingens, ruinam vix saltu declinat: Hæc scandalum in quæ per *ἀδιαβλεψίαν* etiam renati incurruunt. Sæpe etiam *spinae*, quibus arcta ad cælos semita undique est obsepta, lacinias fluxæ vestis detinent: Hæc curæ sunt mordaces, quæ rerum inopia laborantes lassunt, quamvis hi moras rumpant illicet. Verū enim vero, hujus generis peccata *sufflamen* quidem injiciunt, *gratiampenitus non excutiunt*. Neque agit Apostolus de acedia, de erroribus diariis, de dubitatiunculis, *ἀδιαβλεψίᾳ*, vagis sollicitudinibus, quæ peccati nomen habent & merentur: Sed de LAPSU, vel potius PROLAPSU, eoque tali, qui præcipites dat in vallem miseriарum deploratam. De LAPSU, inquit, post quem *ἀναπόστασις immutatione mentis* eget peccator. De tali lapsu, qui in veterem statum, quem ante illumini-

illuminationem habuerant Ebræi , iterum reducit , qui pœnitentiam stantium depositit , quo admisso adūvalov est semet renovare ad pœnitentiam , id est , de peccato proæreticæ malitiæ , quod fidei , quod gratiæ , quod Spiritus Sancti excussivum est . Alias enim stantes pii , DEO cooperante , possunt , per vires ex gratia datas , nec penitus per venialia delicta amissas , agere pœnitentiam , seq̄e renovare secundum Spiritum mentis suæ . Proinde loquitur Paulus de peccato , voluntario , mortali , actu mortifero , quod ex gratiæ filio filium iræ efficit . Loquitur de peccatoribus , qui , uti Ebr . X . dicit ; ἐκκαΐως , ex proæfesi , deliberata , destinata , & in actum traducta peccant malitia , postquam cognitionem veritatis acceperunt .

Quanta vero ex tam gravi lapsu orta est jactura ? Pul- (γ) damno- chre id in antecedentibus ostendit Apostolus , tecum indi- sum . cans ex qvam sublimi statione , ex quanto fastigio dejici- antur , quotquot similiter prolabuntur . Stabant Ebræi velut in pinnaculo templi divinitus collocati . Fruebantur lumine dono , communione Numinis . Gaudebant gratiæ & gloriæ privilegiis . Ast svasu Satanæ se deorsum jacentes , lapsu graviori à summo ad imum descendunt : Prolabuntur à lumine Patris ad tenebras errorum scelerumque ; Ex spoliati dono divino , rediguntur ad incitas sensumque pristinæ inopiæ . Communione S . Spiritus desertâ , procidunt ad impuri malique Genii commercia . A benedictione svavissimi Evangelii deficientes , amendantur ad gravissima legis maledicta . Dum , proruente ad flagitia , Genium suum frau- dant prægustu cœli , simul incidunt in tormenta conscientiæ , quæ interni aliquod sunt præludium . Ex tam eminenti felicitatis loco , in hoc immane calamitatum barathrum , dejectos autumo Relapsos , ideoque , habita antecedentium ratione , eos παραπτούτας , id est , ex sublimi hac statione , gravi & precipiti casu , dejectos proturbatosque , vocari .

Scitote interim , hunc Gentium Apostolum neutiquam (δ) dabilem . negare gratiam D & I præservantem , nendum perseverantiam multo-

multorum fidelium; neutquam etiam asserere, quod omnes renati, promiscue, æquè ac Ebræorum nonnulli, actu labantur, & istus usque procedant. Absit, ut hoc θεοπνεύσα impingamus viro! Non existimat omnes renatos æquè, istuc usque prolapsos. Sed labiles esse omnes, casum esse omnino dabilem putat, & ne iseveniat severo monito vult occursare. Moneret autem nequicquam, id est frustra, si nullo immidente periculo, renati ab omni alea periculoque relabendi planè essent immunes. Quis enim Æthiopem moneret, ne nive ipsa fieret candidior? aut pardo cutem ne mutaret variegatam, præciperet? Impossibiles namq; casus, aut seriis monitis præcavere, aut sanguine scriptis legibus vetare velle, quid quæso esset aliud quam lateres lavare? Huc interim summa moniti Apostolici tendit. Non habitat in carne, etiam renatorum, quicquam boni. Volentibus bonum, malum \* Rom. VI<sup>1</sup>, adjacet, & ab hoc corpore mortis nemo eos liberarit \* prius 18 24.25. quam sarcinam hanc corporis mens deposuerit. Gratia sint interea Domino nostro JESU Christo! Gratia datur nobis ad perseverandum sufficiens, & ultra meritum nostrum, admodum abundans. Cave vero *absolutum illud decretum carnis*, licentiosamque malæ tuæ voluntatis libertatem, illicesque Satanæ mundiq; voces, mage ferales quam ullus, si quisquam fuit, cantus Sirenum. Tanta supereft, apud renatos quoque, corruptio, ut *oblata*, ut *collata*, ut *retenta* aliquandiu Charismata, queant respuere, & prolabi ad nefanda scelera. Caveat sibi ab intercutaneo hoc hoste vel sanctissimus! Quod cuiquam quondam potuit, potest & cuivis postmodum accidere.

(β). Ad quem: SCELIUS (a) crescens. Ut i verò furor Satanae, ex quo semel à DEO defecit, cum tractu temporis crevit in immensum. Ut gangrena latius serpens, vires acquirit eundo. Ut lineæ angulares, in infinitum protractæ, usque & usque majorem ab invicem secessionem faciunt. Ita & Apostatæ, ubi semel à bono defecerunt, strenue in malo proficiunt, & si infinitum in hac vita excurrendi campum Numen permitteret, error aberrantum

tum pariter esset infinitus. *Defecerunt à Patre lumen.*  
*Quid tum? Crucifigunt Natum.* Quid porro? Quem per  
 Spiritum Sanctum laudare debebant, hunc, ad impuri Spiritus  
 pravas suggestiones, nefariè propinat *ridendum.* Sic  
 ex Apostatis impii, ex impiis facti *Empæctæ.* Post malum  
 privativum idque simplex, sequitur geminum positivum.  
 Bonum primò relinquent, in malo mox delinquent. *Ea*  
*scilicet est scelerum series concatenata!* Ita, justo DEI judicio,  
 in reprobum dantur sensum, suæque malitiæ & furori ad  
 justissimam ultionem permittuntur! Quin quemadmodum  
 Judæi quondam vatinianum suum odium in Messiam  
 prodiderunt, primò quidem *in Crucifixione*, postea in *Cru-*  
*cifixi illusione:* Similem in modum Relapsi, si non idem,  
 tantundem certe, eadem queratione, peragunt.

Qvippe (a) *DENUO CRUCIFIGENTES SIBI IPSIS FI-* (a) *Gemi-*  
*LIUM DEL.* Quid qvæso, ais, hoc est dicere? Novimus, <sup>num.</sup>  
 inqvis, quid sit *crucifixio?* Profitemur JEsum *esse crucifixum.* (a) *CRUCI-*  
 Credimus hunc *crucifixum esse DEI Filium.* Heic verò aqua *FIXIO.*  
 hæret. *Qva denuò ratione?* Et qvomodo sibi *metipsis?* queant *Cuius not.*  
*crucifigere* JEsum, qui incessanti & vita & gloria nunc utitur  
 apud superos, super solio divinæ residens Majestatis? Hoc  
 adhuc *ευστόντος.* Verum: Patientiam & attentionem  
 præbete! Sic plana fient omnia. Nostis *crucifixionem* (a) *qualitas.*  
 genus esse supplicii, quod cum Ceremoniali *maledicto*, cum  
 probro Forensi, & acerbo dolore Physico conjungebatur,  
 infligebaturque non nisi *mancipiis & rebellibus.* Hoc mortis  
 genere affectum esse Servatorem nostrum, JEsum illum  
 Nazarenum, non minus amici quam inimici profitentur.  
 Hanc crucifixionis memoriam hoc ipso tempore piè reco-  
 limus. Optaremque, quod velut in transitu notandum  
 censeo, omnes singulosque Hierologos parcus de histo-  
 ria criticè polemicèque excutienda agere, uberior autem  
 & pressius de *causa, de fructu, de exemplo passionum pero-*  
*Ere.* Maturam enim justamque esse historiam, qvæ ab  
 varangelistis heic scribitur, nemo Christiadum negat, fa-  
 cileque

(b) *causa.* cileque id ipsum vel infidelis admiserit. Hæc Helena est de qua certatur; *qua* nempe *de causa*, tam dira sustinuerit. DEI qui est Filius? Negat Socinista hanc causam, solatium illud satisfactionis vicariæ impugnans, & pondus infinito λύτρω detrahit, dum DEum esse summum pernegat. Frigidam his suffundit Nestorius exclamans. *Noli gloriari Iudee, non DEum sed hominem crucifixisti!* Contra nos sentimus cum Paulo qui *crucifixum esse DEL filium* hoc loco contendit, & ad Corinthios, si uetus, ait, *pro omnibus mortuus, omnes, judicio DEL verissimo, censeri reputarique mortuos.* 2. Ep. V, 14. Existimoque non adeo factum ipsum, aut exemplar patientiæ,

\* 1. Cor. I, *Scandalo fuisse Judis & pro Stultitia habitum à gentilibus, \* sed 23. potius causam crucifixionis Messianæ.* Videlicet, per mortem cruciarii erigi Regnum Israelis, tolli umbras Levitismi, tolli maledictum legis moralis, tolli iram Numinis vindicem, & pro peccatis mundi universi fieri satis.

(e) *Modus* Nullus autem miror, Iudeis & gentilibus scandalo isque fuisse crucifixionem Christi; Ratio est in promtu: *Per \*Act. III, 17. ignorantiam talia fecerunt dixeruntque.* \* Hoc interim demirandum! Ebræos illuminatos, doni cœlestis & Spiritus Sancti participes, Evangelii gnaros, hoc tantum donum, hoc à Patre cœlitus datum, hoc in cœlos jam translatum, nunc iterum crucifigere! Hocne homo facere, hocne DEI

(1) negari rive filius pati queat? Qui ergo fiat? Suppono A. O. JESUM à \* Rom. VI, *mortuis resuscitatum non mori amplius,* \* ac ob id nec crucifigi

9. denuò. Ubi cœlo Lunam deducere potuerit homuncio, poterit quoque cœlos occupantem Servatorem crucifigere & sanguinem profusum denuò pedibus conculcare. Fiet vero & illud & hoc ad Græcas Calendas. Hostes suos pri-

\* Pl. CX, 1. *dem Servator ita debellavit ut pedibus subjectorum* \* insultet

(2) positi rive cervicibus. Ac ob id litera ab Exegetis heic deserenda & scilicet configiendum ad Allegoriam. Jure vero optimo id quisquam fecisse dicitur, quod ab aliis pessime factum probat & ratum quasi haberet, cum causa sit flagitii, si non physica, certe tamen moralis. Adhæc: *Quisquis legatum vel amicos Principis.*

Principis violaverit, in ipsum dicitur peccasse Dominum supremum. Porro: *Qui plantam sauciaverit ipsimet ægrè facit capiti.* Merito ergo relapsi Ebræi dicuntur (1) *ratiha-*  
*Apostolo Servatorem cruci affixisse*, idque *denuò*, qvia facta deicidarum, pridem patrata, si non ore certe ipso opere cordeque, probarunt. Hoc quippe scelerato ausu negant JESUM esse Dominum, eumque super se regnare Luc. XIX, 11. nolunt; negant esse semen illud benedictum aut DEI filium, dum spernunt, non adorant, non diligunt; Negant satisfecisse DEO, dum cruentum *λύτρον* respuunt: Negant hoc mysterium, quod scandalo mox est & stultitia videtur. Probant è contra blasphemias voces quibus Patres Ebræorum Christum prosciderant, reumque blasphemiae, rebellionis, mendacii, imposturæ, luxuriæque peregerant. Dignum quasijudicantes servili illo, maledicto, cruentoque supplicii genere, sucllamantes quasi: *Crucifige! Crucifige!* \* Matth. XXVII, 25.  
 Marc. XV, 13. 14. *Veniat Sanguis ipsius super nos liberosque!* \*  
 qvia nobis, id est vel nostro cum malo maximo, volumus crucifixum. Et adeò hoc interpretative probant deicidium, ut suo quasi facto testentur: Se ita omnino & recte sentire; probe quippe expertos viarum Christi, nihil in iisdem boni, nihil veri deprehendisse. Se antea quasi delusos depictedosque errasse, juxta cum stupida plebecula, nubemq; pro Junone amplexos. Jam vero se rectius sapere, ex quo scilicet cœperunt, non solum despere sed & insanire. Ita cogitant, loquuntur, agunt nuperi crucifixores Christi! Facetiam non ejurasse Ebraicum externam fidei professio- (2) *imitando*  
 nem. Ecquid scelus hoc hominis, à tantæ pietatis culmine deficiens, ut ut ore taceat, opere factaque ipso loquitur? Nisi quidem merum, passionum, crucis, mortis, meritorumque Christi, quæ cuncta naso suspendit adunco, quæ nihil & flocci pendit, vilipendium? Nonne etiam, more apud multos solito, ad aram velut haram proruens, ipsius *Corporis & Sanguinis* Messiani, pessimè habiti, reus evadit? \*\* I. Cor. XI,  
 Qvinimo cum capiti inter sidera relato nocere nequeat,

ordinis sui osor Apostata , frendentis & spumantis instar apri humiles suo fulmine ferit plantas. Intelligo autem membra Christi quæ in pulvere hoc spreta sine honore jacent, puta tam pauperes, quam Præcones fideles, quos peculiari sua cura, gratia, tutela & commiseratione noster

\* Gal. VI, Sospitator dignatur. Hos fideles, velut *mundo crucifixos*,  
14. relapsuri Ebræi habent pro olido cadavere, carcino-  
mate, piaculis. 1. Cor. IV, 13. Hos inopiæ exedendos per-  
mittunt, acriter insectantur, strenue excruciant, sic (liceat  
uti verbis eximii Theologi) ut velut *inter duos latrones*,  
suam miseriam & aliorum immisericordiam, eos cum  
Christo cernamus *crucifixos excarni ficatosque*. Quo vero

(d) *fructus* tandem cum fructu, quicquid male agunt, impii peragunt?  
*malus.* Vah! illo, quo mali mala semper assolent. Crucifigunt,  
quidem, sed *sibi*, id est nullo Christi, nullo Christiadum,  
interim *malo suo maximo!* Recidunt enim in caput scelera-  
tum scelera, verticem non cœlum lædet, quisquis sagittas  
ad perpend' culum emiserit. Est inter caput membraque  
mystica & grata quædam confœderatio, amica conspiratio,  
& quasi Sympathia. Quicquid *boni malive minimo fratrum*

\* Matth. *tutem feceris*, hoc, velut *sibi factum*, Fratrum primogenitus,  
XXV, 40. Rom. VIII, 29. Servator noster, reputat. \* Si fulminei illi  
\* Matth. apri, gratiæ margaritis conculcatis, mordicibus vexarint pios,  
VII, 6. pietatis ille assertor JESUS exiget vindicias, tandem Sauli-  
nam hanc sobolem in via sua compellaturus. *Quid me per-  
sequeris?* Durum erit contra stimulum calcitrare! Act. IX, 4. 5.

(β) *ILLU-* An vero *hæc ultima meta furoris* apud Relapsos? Ne hoc  
*SIO quæ* quidem! Enecant Apellæ Servatorem. Enectum habent  
*involvit* pro ludibrio. Ne hilum quidem meliores sunt Apostatae.  
DEI FILIUM PRO LUDIBRIO HABENT.

*E X E M-* Sunt enim παραδειγματιζούτες, crucifixumque Serva-  
*PLUM* torem ridendum propinant Gentilibus. Aliud enim in omni  
(a) *bene de* supplicio est pœna, aliud παραδειγμα. Maleficos punire,  
*malis* Sancta jubet Nemesis. Ut vero unius pœna, metus fit  
omnium, publicitus exemplum statuitur; quo diro hoc specta-  
culo

culo territi subiecti à simili abstineant flagitio. Hæc causa  
 est ob quam capital supplicium , non in angulo, non in car-  
 cere, sed sub dio , in edito Theatro, Magistratus exigi jussit.  
**Hæc publica prostitutio παραδειγμα** est. Ita in Sacris lego  
 Pandectis. Noluit Josephus, vir mitissimus, παραδειγματισ-  
 ridendam propinare, *Deiparam Matth. I, 19.* Potuisset quippe  
 eam, velut prostitutæ pudicitiæ sponsas licuit, in jus vocare,  
 ut, vi legis *Deut. 22, 21.* ædibus Patriis eliminata , rapta  
 extra pomœria, lapidibus obrueretur. Maluit autem pri-  
 vato vivere contentus repudio , jubereque ut res suas sibi  
 haberet grava. **Contra Moses Num. XXV, 4.** cum  
 manarent in vulgus exempla Regentum, lasciviae & ido-  
 lolatriæ deditos populi Principes, ferali de trabe, sub dio  
 curans suspendi, spectaculum, exemplum, παραδειγμα edi-  
 dit severæ justæque Nemeseos. Utrumque vero , quod  
 Josephus noluit, quodque voluit Moses facere, eadem voce,  
 qua Paulus in Textu utitur, exprimunt septuaginta inter-  
 pretes & Matthæus. Nemo sanè improbat horrenda  
 spectacula , quæ aliqua lege necessitatis pio Magistratui ex-  
 torqvæt subiectorum profligata improbitas. Præpostere<sup>(b)</sup> male de  
 tamen heic agere Relapsos, nemo non videt. Quippe cum Christo sum-  
 DEus, DEI vicarius, Deique viri, optimo suo jure, impios  
 puniant , & ut exemplo hoc absterreant, eos qui non nisi  
 formidine pœnæ innoxie vivere volunt, publice pœnas  
 exigunt impietati debitas. E contra Satan & Mundus ma-  
 lorum, pios afflit, productosque in scenam publice gestit  
 prostituere. Exemplum sine exemplo est Servator no<sup>ter</sup>,  
 pariaque ipsorum habent fata γνήσιοι discipuli. Illum Judæi  
 pendentem in cruce præalta , quassato capite, sparsisque sarcas-  
 mis, risere. \* Hos, gentiles pariter ac Judæi, diris suppliciis \* Matth.  
 affectos , diritlimis prosciderunt convitiis. Ita scilicet XXVII, 39.  
 moribundo Leoni de tribu Juda insultarunt leporinæ le-  
 vitatis homuli ! Quid heic relapsi agunt ? Pari ratione in  
 se viventem habitantemque Christum, quasi è medio tol-  
 lunt, non sibi solum peccantes , sed & aliis scandalum præ-  
 bentes.

\* 2. Sam. XII, 14. bentes. *David* similes, qvitorum violans Uriæ, eumque hostibus necandum objiciens, non solum peccavit in propria commoda, Deique legem, sed & ad calumniam proritavit hostes DEI, \* extra pomœria Ecclesiæ sine fide, aut in gremio Ecclesiæ sine probitate, viventes. Sane peccato condonato, luere oportuit Davidem scandalum quod datum infidelibus. Et hoc est παρεδέγμα, hoc offensaculum, quod Christum crucifigendo suppeditant, illi qui quondam illuminati, & mox lapsi. Hypocrita enim subdolus, Epicuri de grege porcus, recutitus Apella, lascivi & male sani Muhammedis assecla, Dæmonum sub idolis cultor Gentilis, sacra Christianorum ridet deridetque, simulac videt probe harum rerum expertos, adeo protervè hæc magna mysteria conculcare, Magistroque suo, quem adorant, crucem figere, eundemque, medio quasi digito monstrantes, sannis excipere. Grande ergo hoc scelus est, & dira morte pianum! Quæ tandem quæres relapsorum est conditio ubi ultimam impietati manum injecerunt? Quæ ipsorum fors, vel facultas ad spem bonæ frugis residua?

Sed hoc in *tertia* exponendum restat sectione: Pone enim esse illuminatos. Pone illuminatos relabi. Quid quæso tandem IN FUTURUM supererit, nisi adiuraria ad resipiscendum? Enigitur vobis

## PROPHYLACTICUM CONTRA RELAPSUM PAULINUM.

(c) *FUTU-* III. *RATIGNE FUTURI* depingens adiuvauias ad RUS μετάνοιας, impotentiam ad paenitentiam. Quærant alii quæ adiuvauias verba in Bibliis sint Φοβερῶν Φοβερώτατα, afferantque varias *STATUS*. de variis dictis opiniones. Sanè non è postremis hoc est heic nota nostrum, quod instar Medusæi capitis tantum interpretum (a) *REM*. numerum territavit. Dolendum omnino adeo mutatam (β) *duram*. esse mentem relapsorum, ut mentis indigeant immutatione. Adeo veterno obfuscatam imaginem Christi, ut ad naturalem squalorem animus reductus, nil nisi larvam Satanæ, veterisq;

terisque Adami referat idolum. Dolendum inquit adeo nihil ex pristino superesse nitore, ut tabula rasa instar sit anima, novaque iterum signanda veniat imagine. At hoc omnium dolendum maximè, quod tanto Apostolo, DEOque teste, sit IMPOSSIBILE RENOVARE ad POENITENTIAM. Ohe! Quid durius asperiusve dici queat? Quid image siderare & percellere pavidas conscientias? Nihil equidem poterit magis hoc ipso fulmine Apostolico, quod tam penetrans fuit, ut multi Patrum de ipsa totius Epistolæ θεοπνευσίᾳ subdubitare cœperint. Excipietis equidem: (γ) veram, Nonne Baptismus quo tincti sumus est lavacrum uti παλιγγένεσίας, ita ἀνανεώσεως, \* quo scilicet qui tenera adhuc ætate renati fuerunt, ea adulta iterum, vigratiæ fœderalis, renoventur ad pœnitentiam? Nonne baptismale hoc fœdus ad vitæ usque obitum perdurat, DEO servante fidem, utut homo datam fregerit, Deoq; post factum naufragium, fœdifrago humuncioni recursum indulgente ad hanc alteram fœderalemque salutis tabulam? Nonne ipse met nos ter Paulus Eph. IV, 23. 24. hortatur, ut, secundum D. Lutheri versionem, nosmet renovemus Spiritu mentis nostræ? Qua tandem ergo lege, subjicietis, est impossibile renovari ad pœnitentiam?

Dilecti in DEO! Hos vos velim notare. Est utique baptismus lavacrum renovationis, sed *Spiritus sancti*; cui nihil est adūvajov. Est fœdus baptismale perenne. Sed quod Deus ferit sanctique, imo & primus offert, non vero homuncio, qui gratiæ tesseras & privilegia dare & instituere nequit, quamvis acceptare queat per gratiam prævenientem. Adhæc: *Stantes in gratia jubet se renovare, vel potius passivè, per acceptas vires, renovari jubet Paulus* (a) adūvajov ad *Ephesios* scribens. Heic autem in *Textu de lapsis est sermo*. De LAPSIIS vero audacter promuntio. Est plane adūvajov plane impossibile; sed quid? An RENOVARI? Neutiquam: Hoc in *Textu* haud lego. Quid tandem ergo adūvajov? (b) Iò RE-Accipes: Iò RENOVARE, Iò ανανεῖσθαι, hoc, hoc est impossibile,

sibile, scilicet ut per *μελάνοιαν* suam mentem in melius mutent. Qvibus vero hoc *Renovare* est *αἰδούσατον*? Audin: *His ipsis qui RELAPSI*, de qvibus utroque commate egit Tharsensis Apostolus. Quicquid enim sit de latina, de Teutonica & Exotericis aliis versionibus: Hunc in modum sua lingua sacer Spiritus loquitur: *Impossible est illuminatos, gustantes, participantes, prægustantes, & nihilosecius procidentes ad scelera, RENOVARE ad resipiscientiam?* Qvinam ergo sunt illi qui lapsos renovare neqveunt? An alii? Puto neutquam. Ergo ipsimet lapsi, sese renovare neqveunt: *Illi ipsi enim qui olim audierunt gustantes, participantes, prægustantes, & mox dicuntur lapsi, crucifigentes, ludibrio afficienes, sunt heic quoque non-renovantes*, quia ad tantum munus omnimoda laborant *αἰδούσαι*. Si percontari volueris: An à DEO, pro plenitudine abundantis gratiæ, possint RENOVARI? Hoc in quæstione haud fuit, ac ob id nec decisum, nec negatum à Paulo. Quippenim si percontator aut temerarius disceptator voluisset querere; An talis relapsus, per abundantem DEI gratiam, queat renovari? Respondisset utique gentium Doctor ex Rom. XIV, 4. *Quid alienum judicas servum? suo statque eaditque Domino. Sed hic erigit; potens quippe efficere ut, quondam lapsus deinceps, stet erectus.* Vel uti Rom. XI, 20. 23. *Tu fide perfas. Cave animo efferaris. Time potius. Potest enim Deus defractos ramos denuo inserere stemmati olea & præpinguis.* Non enim quod cuiquam est *αἰδούσατον* id etiam cuivis, aut quod homini impossibile idem & Numinis! Consulamus stylum Scripturæ, & exemplis hic res patescat luculentius. Matth. 24, 24. lego. *Surgent Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetae, daturi signa prodigiaque, ita ut seducturi sint, si duvatalor, si possibile, etiam Electos.* An vero quia Agyrtis & Planis est *αἰδούσατον*, nolentes assensum præbere, Electos, seducere? ideo quoque Electis est *αἰδούσατον*, ut scilicet se, ad tempus, patientur seduci? Marc. X, 24-27. An quia à parte hominis, *fiduciam in opes collocantis, est αἰδούσατον introire Regnum Cælorum?* DEO quoque est *αἰδούσατον* introducere?

(c) *Non DEO,*

ducere? An qvia adūvalō est, vel Maria judice, virginem parere, & Spiritui Sancto per επέλευσιν eam fœcundare? Luc. I, 34.35. Neutiqvam! omnia enim sunt penes DEum possibilia. Joh. X, 28. 29. An qvia lupus infernalis per vim, ex Christi manibus, nequit harpagare oviculas, iccirco etiam oviculae nequeunt se invaviter ducentis DEI manibus subducere per scelera proæretica, & sic aberrando rictui lupo rum se objicere? Par ratio est verborum textus. Qværitur in illo: *Quid quantumque possint, post tantam gratiam, tam atrociter relapsi?* An scilicet, cum omnino renovandi & immutandi sint, se renovare, suamque mentem ad meliorem possint reducere frugem? Non autem in quæstionem venit: An possit Deus lapsos renovare ad pœnitentiam? Nec an per DEum lapsi possint renovari? Nec an Numen ad novitatem mentis eos valeat reducere? Nec an, post abundantis gratiæ neglegentium, queat, item an velit, abundantissimam quandoque superaddere? de his controversiis ne γενικidem suppeditat, hoc loco, Codex facer. Lego heic lapsis negatam pœnitentiam activam, Lego negatam renovationem per vires connatas aut adhuc residuas, peragendam ab ipsis met deficientibus: Ast passivam obedientialemq; potentiam in homine, & activam in Deo, non negat, non impugnat Paulus. Qvod enim Deus remittere hæc, etiam gravissima, delicta possit: Qvod velit quoque condonare & convertere: Qvod eum in finem lumen boni verbi, donum cœlestis, Christum, & Spiritum Sanctum omnibus offerat: Qvod eadem facilitate, Deus condonare queat atrocia crimina, qua transmittit minora: De eo sane nemo nostrum dubitat: Hoc interim Paulus definit, determinatque: Esse videlicet lapsis, esse omnibus hominibus, esse Angelis, esse cuilibet creaturæ per omnia impossibile, lapsos alios, aut lapsum semet ipsum renovare, & ad pœnitentiam perducere.

Videor vero mihi audire unum alterumque, vel cogitando, regerentem: Ecqvid novi heic Paulus, aut insolititudinem interpres, affers? *Quis Protestantum unquam existi-*

(d) Sed  
LAPSO.

IRREGE-  
NITO.

E

existi-

existimavit hominem se ipsum posse convertere? Cur id  
 de relapso negas, quod de homine naturali nemo negat?  
 Quod omnes concedunt, quod nemo disputat, quid attinet  
 de relapsis in specie inculcare? Audite sultis A. O. quoten-  
 dat & collimet Paulus? Renati saepe, tentante Diabolo, ita  
 secum incipiunt cogitare. Liceatne facere periculum?  
 Liceatne qvicqvam dare seculo, quod corruptit & corrum-  
 pit? Adverso hactenus natasti flumine, quid si remiseris  
 paululum brachia, quid si indulferis modicum illecebris  
 & erroribus seculi. Bono etiam erratur animo, pia est in-  
 tentio, poteris vel sistere vel revocare gradum, saepeque qui  
 aliquot passibus recedit, tanto longius per saltum profilit?  
 Accedunt susurri Satanæ ad superbam temeritatem indu-  
 centis: Ecce quanta est qua te in præsens effers gratia?  
 Tantum tu luminis, fidei, gratiæ & virtutum percepisti:  
 Pereat ergo harum rerum pars aliqua, etiam quanta-  
 cunque: *Supererunt nihil oseciis, post LAPSLIM, LIPSANA gratiæ,*  
*subitoque per reliquias virium te recolligens, ad bonam te poteris fru-*  
*gem recipere.* Si ruminari hoc & cum quapiam titillatione  
 animo volvere revolvereque volueris, uti ferax & scœun-  
 dus est error, plures seqventur illecebræ. Verbi causa:  
 Cum sis illuminatus, annon post lapsum supererit scintillula  
 sub favilla latitans? Cum habeas donum illud cœlestis & gustar-  
 is, fors post deperditum talentum assis remanserit? Non  
 cum dono statim & mantissa auferetur. Cum compos fueris  
 factus *Spiritus sanctissimi*, non illicet totam similitudinem Dei-  
 tatis, per hoc peccatillum, feceris jacturam. Cum gustaris  
 bonum DEI verbum, utique præteriorum avaritias tuam ite-  
 rum efficaciter movebit salivam. Cum secuti futuri deliba-  
 veris virtutes, atque sic gloriæ libamina senseris. Neuti-  
 quam tu gratia penitus excidere, victima orci fieri, aut iram  
 Numinis tantopere poteris concitare. Talia, & hujusfur-  
 furis similia, suppeditat caro & Satanæ, ut superbam apud  
 stantes securitatem animo ingeneret. Subjiciens: *Quæ*  
*cum ita sint: Quid tentasse nocabit?* Facile est ex residua,  
scintilla

*scintilla lucem, imo incendium, conflare. Stimulat amissi boni recordatio ad id ipsum recuperandum. Reciperare spiritum poteris, cujus arrha sunt reliquiae. Non nauseosum erit deinceps verbum, quod semel palato adeò arrisit! Et dum ex primitiis cœlestibus manipulum, calatum, vel aristam tantum retinueris, ad meissim petendamus erit. Evidem ut reviviscat mortuus, hoc opus, hic labor est; Lipothymia correptos refocillare potest, & lippus & tonsor. Ut convalescat moribundus, opus est Medico experientissimo; Ubi convaluerit semel, nutanteque talo collapsus fuerit, quilibet veterinarius ipsum, aut ipse met se, poterit iterum erigere in pedes. Accidat lethali ægritudine devicta, levis febricula, aut capite sanato tenuis reduvia, utique hæc cito, tuto, & jucunde transitura est. His ignitis Satanæ telis A. O. occurrere vult Paulus, neutiquam actum agens, dum demonstrat irregenitos & que ac relapsos extrema aduvia laborare, seq; ad meliorem mentem innovare haud posse. Eosque à toto aberrare limine qui somniant post tantum LAPSUM, LIPSNAG gratiæ fore residua, suffectura ad semet iterum innovandum. Ratio est in promtu: Mortui olim fuerunt in peccatis. Resuscitati mox ad vitam. Mortalia delicta si destinato animo iterum patraverint. Recidunt, non solum in pristinum aduvia, naturalis statum, sed etiam in PEJOREM. Quidippenim (Petri utar verbis 2. Ep. II, 20. 21. 22.) quotquot, effugiendo inquinamenta seculi, per experimentalem agnitionem Domini & Servatoris nostri JESU Christi, iisdem sondibus iterum impliciti superantur, horum posterior status pejore est priori. Satius utique fuisset, non cognovisse eos viam justitiae, quam, quod postquam eam agnoverunt, avertantur à Sancto, quod ipsis traditum fuit, precepto. Accidit enim his quod proverbio dicitur: Canis ad vomitum, sus ad volutabrum rediens. Geminam scilicet contrahunt spurciem, geminam nauseam. Namque si denuò, post acceptam gratiam medicinalem, peccaveris, erit conditio, in quam incides, deterior. Joh. V, 14. Unoque fugato & expulso Dæmone, si eundem receperis, post se syrma trahet septuplo majus,*

& mala inferet totuplo majora. *Luc. XI, 26.* Qui ante conversionem mortui fuerunt per peccata, post relapsum sunt bis mortui: Per naturam *arbores* fuerunt *steriles*, &, dum per æstatem gratiæ *Φθινωγενα* neglectam, emoriuntur fiunt *devdqæ*. Per naturam *mortua*, per relapsum *bis emortua* extirpatæque. *Jud. versu 12.* Communi opus est cœli clementia, ut qvæ per hiemem marcent arbores, vere ineunte frondes, flores fructusque protrudant. Quotquot sub imbrifero autumno marcescentes, bis mortuæ eradicatæque, fructus iterum novos ferre & revirescere debent, superabundanti egent clementia cœli. Et si aridus *Abaronis baculus* reflorescat, hoc gratiæ DEI indebitæ & abundantí adscribendum est, non item residuo succo sive baculi sive arborum. Et hæc est A. O. *ratio*, ob quam nullum ego terminum *peremtorium* communi, sufficientique illi gratiæ divinæ, quæ per verbum & sacramenta operatur, ausim statuere. Interim hoc me profiteri oportet solenniter. *Quisquis STANTIUM & mox LAPSORUM*, tanta auxilia gratiæ, quæ cum Deo Trinuno unionem communionemque largitur, quæq; abundantiorem & gratiæ & gloriæ gustum suppeditat, protervè respuit, nefariè conculcat, nequiter spernit, huic homini ego, quisquis etiam fuerit, nunquam promisero tanta auxilia gratiæ superabundantis, quæ abundantem ipsius nequitiam semper vincat, superet, vel excedat. Fatalē enim superabundantis gratiæ terminum, Antediluvianis, Corazimo, Bethsaidæ, Solymorum urbi, & plurimis Provinciis destinatum observo, quo elapso, tanta & tam exuberantia gratia flumina ad exiles & tenues, (cæterà facile sufficietas sitientibus) reducta fuerunt rivulos. Ne quid dicam de occallescente in dies, per pulsus emollientis gratiæ, corde eorum, qui in malo obstinati manent, aut à bono deficiunt. Hos sufficiens gratia, ex quo copiosissima rejecta fuit, minus movet, utut maximè moveat. Dat cætera abundantem gratiam Deus plurimis, utut debeat nemini, & perennem fore haud promiserit. Quin, cum quinque talenta non offerat,

offerat, *unicum talentum*, per segnitiem *defodienti*; \* An quæ-<sup>\* Luc. XIX,</sup>  
 so promisit se decem daturum , illi qui quinque temerè & 24.  
 nefariè dilapidarit ? An magnæ gratiæ abusum , majori  
 semper gratia vult pensare , is qui nullam debet , qui que  
 peccantibus contra legem & conscientiam tantopere suc  
 censet ? *In hominem si peccarit quispiam* , ait Eli i. Sam. ii, 25.  
*id boni viri arbitrio potest componi.* *In ipsum DEum autem si pec  
 caveritis , quis , nisi ipse met obtulerit gratiam , medias partes*  
*sustinuerit ?* Nemo Numine superior est. Nulla lex quæ  
 DEum obliget ad indebita. *A libera ergo & abundanti gratia*  
*DEI pendet post tantorum beneficiorum copiam , relabentium*  
*Renovatio & resipiscientia.* Summa: Nulla supersunt post  
 gravem hunc lapsum lipsana gratiæ inhabitantis , nullæ post  
 relapsum boni spirituæ reliquiae , quibus scilicet semet in  
 novare aut malam mentem in melius queat mutare Re  
 lapsus. Si duri fuerunt ante collatam gratiam , ea rejecta  
 magis indurantur , facti scilicet ex malis pessimi !

Nil restat A. O. præterquam unicum adhuc. *REM(β) RATI*  
*exposui , rei nunc Rationes apponendæ. Ad uanuariu audistis.* *ONEM.*  
*Hujus causam nunc accipite : Eam felicissimè asseqvi po*  
*teritis attendendo ad *nexus verborum Paulinorum.* Atque is*  
*hic est : Impossibile ut relapsi serenovent ad pœnitentiam.*  
*Eccur ? Primo quia peccant contra Medicum : adūratorū ava*  
*naiwīzēn eis μελάνοιαν : Sunt quippe uti deinceps , seqvitur ἀνα*  
*σταυρόντες , καὶ παραδέρματιζοντες υὸν τὸ θεῖον : Ac ob id nulla alia*  
*superest victima hilastica , post refectionem hanc monadicam :*  
*Secundo quia peccant in medicinam , verbo & sigillis gratiæ*  
*abutendo : ETENIM , NAMQUE , pergit Apostolus.*  
**TERRA IMBREM SÆPIUS SUPER SE VENIENTEM**  
**IMBIBENS , & PARIENS HERBAM COMMODAM**  
**COLONIS : Accipit benedictiones divinitus.** *Quæ VERO (im*  
*brem super se crebrius venientem pariter imbibens) pro*  
*trusserit spinas & tribulos , ea reproba est , maledictioni proxima ,*  
*ultimoque exurenda.* Ex hac connexione merito mecum

A. O. concludetis: Ergo *Ratio aduvapias* qværenda est in diversitate glebæ. Non enim Numen in causa, sed homo. Non polus in culpa, sed solum. Non pluvia deficit, sed gleba. Non ex cœlo, sed ex cœno, spinæ procrescunt, tribulique. Imber ille, verbi boni Symbolum, jugiter destillat, super bona cadens terra malaque, nulloque heic agitur discrimine. Emollienti huic nimbo noli induratio-  
nis vitium adscribere. Par est cœli clementia, dispar terræ qvalitas. Usus gratiæ mite solum emollit. Abusus emol-  
lientis gratiæ senticosum & lutosum agrum indurat. Qvanto largius in rectè utentes descendit favor, tanto feracius est bonorum operum arvum. Qvanto vero liberalius in du-  
metum & senticetum roscidæ fluviæ destillat copia, tanto apud male utentes major inopia boni, & copia malorum fructuum.

(b) *Allego.*  
ria.  
At, inqvis; *An meliori de luto cuiquam mortalium præcordia*  
*Titan finxit?* Et si hoc explodis. *Dat terra bone maleque justa*  
*discrimina!* Dederò ergo haud invitus: Dum probè ab in-  
vicem distinxeris Naturam & gratiam. *Natura* omnes ter-  
rigenæ terra mala sunt. Et uti tellus anathemate divino,  
ob peccata hominum, percussa sterilis est bonaque frugis  
noverca. Ita eadem, non accedente cultura, se colere, se  
arare, serere, subigere que nequit. Atque hac ratione nec  
homo se convertere renovareque per naturales facultates  
potest. Nulla proin terra per naturam bona, omnis mala  
est. Et hanc connatam pravitatem vult vincere Numen.  
Non item morosam illam affectatamque. Interim ex malo  
per naturam agro, bonus per gratiam fit agellus. Si patien-  
ter aratum legis sustinuerit, Iemen verbi Evangelicum re-  
ceperit, imbreui cœlitus delapsi Spiritus imbiberit, siderum  
influxum, solis calorem, molli sinu exceperit foveritque.  
Ast hæc bona arva quandoque in senticetum degenerant, quanto-  
que solum melius quondam tuerit, tanto spinæ tribulique  
pullulant latius. Pone ergo probè cultum agrum negligi,  
tum utique sensim constringetur cortex, resistet aratro le-  
gis

gisq; qvondam facilius patiebatur, respuet aut suffocabit semen Evangelicum, mox radicata perplexaque concatenatorum flagitorum segete agro referto, fructusque proferente acerbos aculeatosque, vepretum hoc intercipiet qvicq; cœlitus promovendo tritico destinatum est roris, interceptoq; hoc liqvore abutetur ad latitis diffundendos viridantis neqvitiæ stolones, ad folia malorum prætextuum, ad fructus operum pessimorum. Quid jam vobis A.O. videtur? Possetne talis agellus semet ipsum facere novalem, mutare indolem, fruges ferre? Nonne hoc vepretum omnis in culto & compascuo loco ineptius est? Certe: Nisi vis major radices extirpans, solum vertens, fibrillas tribulorum per tribulationes exurens, accesserit, & ex pessimo fundo fecerit optimum, ne hilum qvidem poterit ad semet ipsum innovandum, quantumcunq; ager olim fuerit cultior campis Babyloniorum, arvis Palæstinæ, hortisve Hesperiis. Suæ indoli & genio si degenerans senticetum permiseris, erit, manebitq; ineptum, fietq; in dies ineptius, nec liberabitur à maledicto servabiturq; ad ignem Pantocriticum.

Detracto ergo florido Allegoriartum pallio. Hunc in modum Paulus *Ebræos* alloquitur: Terra vos o Renati! qvondam fuistis rudis & sterilisque per naturam. Nunc vero, insigni Numinis *gratia* & beneficio, facti estis terra bona, culta, ferax, benedicta! Cavete ne per securitatem iterum sylvestatis, malisque vos operibus commaculantes in reprobam, maledictam, exurendamque terram degeneretis. Beatos vos Ebræos prædico: Terrigenæ qvidem, è terra conditi, & ob peccatum in terram reddituri, atq; sicutellus maledicto obnoxia fuistis: Ast ex quo aratum legis tollerastis, admisistis semen fidei, terra estis bona facti: Ut *talis maneat*, vestrum est ante omnia curare. Mementote ergo vos ab humodictos homines, ut *humilitati* studeatis. A solo vos suspensos esse polo cogitate. Terram si quis terendo affixerit, hoc patienter sustinete. Contra *adversitatum* procellas immobiles perstate; terræ orciq; *motus* temnите; Pulve-

Pulveream bonæ terræ speciem, dum *gazas* intus contineantis, ne despicate. Nam bona terra alia est, alia videtur. Invocate porro propitium Numen, ut *cæli* vos beat clementia, justitiæ *Sol* vos vegetet in dies, ut sacrum *Flamen* blande adspiret piis cœptis, ut roscida *nube* Evangelii steriles fœcundet animas, aridas refocillet, duras emolliat. Sic *pluvia* illa verbi toties totiesque super vos veniens, aptos vos reddet ferendis bonis *frugibus*, quo Patrem gloria, & vos benedictio maneat: Per animam autem vos obtestor: Nolite gratiam, quæ gratis data est, negligere. Nolite eadem abuti ad securitatem scelerave. Nolite superbire, aut vos efferre arrogantius. Potest namque probe cultus ager *sensim insentictum degenerare*, potest loco tritici, si incultus jaceat, tribulos ferre. Potest fieri *adoniu* &, quod ultimum est & ilias malorum, tandem etiam exuri. Jam vero Anima fidelis, dic sodes quid hoc in Statu imber gratiæ optimus profuerit, contra malum radicatum? Maximè si bono ad malum cœperis abuti, vitiumque quasi in naturam versum fuerit? Sane istuc usque si deventum fuerit. Non stat amplius penes agrum, sed unice ab abundanti gratia cœli dependet, ut per metamorphosin ex maledicto agro fiat benedictus.

V. CON-  
CLUSIO.

*Anacephaleosis.*

A. O. Quæcum ita sint: Hoc alta apud vos maneant, mente reposum: Etiam illuminati, Christi sanctique Spiritus participes, degustato licet bono verbo virtutibusque seculi futuri, possunt nihilosecius hactanta gratia, idque in totum, excidere, atque sic quidem ut denuo DEI filium crucifigant & prostituant. Non possunt autem Lapsi semet renovare ad pœnitentiam. Cum nulla post lapsum lipsana supersint gratiæ qua se renovent, atque sic posterior conditio lapsorum deterior evadat priori. Terra enim bona fit usu, mala autem abusu gratiæ, seque ubi semel in sentictum degeneravit renovare nequit. Majori heic opus est vi Coloni. Q. E. D.

*Post*

A. O. Vobiscum nunc ago. Eo jure quo cum Ebræis Paulus. Cardiognostes haud sum, nec iudico de occultis. Interim id scio: Omnibus vobis esse necessariam pœnitentiam, sive stantium, sive lapsorum. Et ad alterutram classem vos spectare quotquot heic estis congregati. Scilicet aut ad STANTUM, aut ad LAPSORUM censum. Aut ovis estis ab ovili gregeque Christi aberrans, ac ob id querenda, & ex fancibus lupinis liberanda. Aut ex numero 99.ovicularum, quæ lapsorum pœnitentia non indigent. \* Alterutram filii su-<sup>4</sup> Luc. XV, stinetis personam; Aut Acolasti predigi, aut domi cum murmur-<sup>4. II.</sup> reremantibus Senioris. Probate ergo vos, & quid in quemq; quadret ipsimet dijudicate? Sigillatim ego egero cum singulis, ut quid ab una parte STANTES, quid ab altera LAPSOs, meminisse oporteat, perdiscant.

## AD STANTES.

(a) STAN-

TIBUS.

Res A. O. Paulo est cum STANTIBUS, ad hos verba sua dirigit, ut revocet eos à ferali ruina! Ita me vero Numen amet ut velim, ut optem, ut precer, vos omnes singulosque <sup>ne</sup> stare in gratia, pervenisse ad illud fastigium, quod Ebræi concenderant. Imo ut perseveretis in hac felicissima statione! Et secundum judicium charitatis spero, autumoque esse vos inter, O Amicissimi, aliquos saltim, simillimos Ebræis, quos Paulus dilaudat velut illuminatos, doni cœlestis, sacri flaminis, suavitatis Evangelice, & virtutum futuri seculi compotes participesque. Quid, quamvis dura sint quæ Gentium Doctor Ebræis accidere posse auguratur, quamvis non sine causa moneat benedictam terram, ne abutendo rore gratiæ degeneret in senticum reprobum, maledictum, exurendumque. Tamen pari pietatis affectu spero ominorq; præservanti gratiæ vos locum relicturos, & ad finem perseveratus. Spero enim de vobis, O dilecti! ut ut aspere moneam, meliora, enique quæ vestra cum salute sunt conjuncta. Non enim injustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri & laboris in Charitate suscepisti, quam ad gloriam divini nominis hactenus demonstrasti, quotquot sanctis ministras manus commodasti, & hodieque commodaris. Discipio autem ut unusquisque

F

vestrum

*vestrum idem (deinceps quoque) præstet studium, ad plerophoriam fidei & spes, ad finem usque perseverantis. Ne fatis imbecilles, sed imitatores sitis eorum, qui per fidem patientiamque hereditatem promissam nanciscuntur.*

**Ebr. VI, 9. 10. 11. 12.** Vos ergo STANTES compello, ut quid

(B) *grati in vestri sit officii vos admoneam! Grato itaque, quod PRIMUM est, animo perpendite, quanta in vos benignum Numen contulerit charismata, quantaque gaudeatis præ hypocritis & infidelibus prærogativa? Nec Paulus suos Ebraeos habuit pro hypocritis, nec tales vos existimo. De irradiatione inchoata & fulguris instar prætervolante, de cognitione literali sine agnitione fidei, de fidei umbra, quæ temporaria sit non item justifica, de gustu tantum supremis labris facto, de miraculosis virtutibus, quæ non sanctificant, de sensu immortalitatis qualicunque, & qui neminem faciat beatum, de talibus inquam charismatum larvis Paulum agere, vix juranti credidero. Religioque est mihi hujus farinæ limitariunculas magnifico textui infarcire, ne videar aut amplitudinem gratiae divinæ circumscribere, malumque, quod in carne reformatum quovadet, minuere, aut denique illuminatos inducere in temerariam hanc presumptionem, se nulla ratione gratiam DEI, semel acceptam, etiam per flagitia atrocias, posse decoquere perdereque.*

(y) *Sibi gratia intentur.* Habetis, O Optimi, quotquot nempe, dictante conscientia & simul attestante Spiritu Sancto, certi estis de Statu gratiae bonorumque operum in quo vos constitutos animadvertis; Habetis inquam, santicas causas, ut pie in Domino exultantes, passis ad sidera manibus, superiore Luminum Patri decentes agatis gratias, qui vos, ex Regno tenebrarum ereptos, ad lucem perduxit salutarem. O Felices vos quotquot hac luce collustrati vias Domini dedicistis intelligere! O vos beatos, quorum inopiam explevit, Is qui pro peccatis nostris traditus, & ad justitiam resuscitatus est! Oh vere divinos, quos in habitans sacer agitat Spiritus! Oh egregios cœli candidatos, qui pleno heic gratiam combibunt gutture, libaminaque cœli, quasi pitissando persentiscunt & delibant.

bant. Dignum utique hoc immortale beneficium , de quo  
 vobis, qvotqvot in bono statis, me oportet gratulari. Ast & (δ) *Caveant*  
*hoc subjiciendum mihi , hoc pariter à vobis & audiendum,* *relapsum.*  
 & memori semper mente reponendum: *Quisquis vestrum*  
*STAT, caueat nec cadat!* \* Sublatus es in altum: Cave lapsu<sup>\*</sup> *I. Cor. X,*  
*graviore ruas.* Cave socordiam, cave securitatem, cave  
*superbiam! Non, si bene nunc, & olim sic erit, mala, puta, si de-*  
*stinato peregeris!* Dices: Bonus in præsens ager sum! Do  
 illud, & bene se res habet: *Pergis:* Pluunt nubes justitiam  
 & rorat cœlum gratiam: Esto & hoc; ita res se habet me-  
 lius: *Colophonis loco subjiciis:* Atqvi & fructus fero DEO  
 gratos, referoque in præsens benedictionem. Recte omni-  
 no & optime: Ast & hoc scito: *Excolendus est bonus agellus, ne*  
*segnescat iterum, ne obdurescat, ne degeneret, acerbos aut*  
*noxios fructus ferendo;* Solet namque Numen abusum  
*gratiæ eximiæ, ira tanto graviori compensare.* Excidit, uti  
 nostis, cœlo Lucifer. Exulat Paradiso Adamus. Sanctus  
 Davides simulac adulter & homicida factus, vir qvoqve  
*mortis\** fuit! Stabant Galatæ Ep. V, 1-5. in libertate, qvam Christo de-  
 bebant, qvos qui liberat vere sunt liberi. Sed ne servi iterum fiant, ne inu-  
 tilis ipsis fiat Christus, ne gratia excidant, omnino monendi. Timet 2. Cor.  
 XL, 3. idem Apostolus, ne, quemadmodum serpens Ewam decepit, sua va-  
 fricie, ita & sensus Corinthiorum corrumpantur a ea integritate, qvæ erat  
*erga Christum.* Qvotqvot ergo, puro cum corde plenaqve fide, aditum, (ε) *Perstent*  
*ad hilasterium tuis naeti.* Qvotqvot estis, qvà cor respersi emundarique  
 à mala conscientia, qvà corpus vero abluti aqua pura, firmiter qvæso retinete  
*immotas spes de bonis quæ in cœlis, vestro bono, reposita profitemini.* Fidelis  
 est qui promisit Deus. Nihil est qvod dubitetis, aut ab ipsis parteti-  
 meatis! Vestrum interim est, ut alter alterum extimulet, ad charita-  
 tem peraque bona. Nam si volentes nos, (se qvoqve labilem, lapsumq;  
 vel libi possibilem, probe novit Paulus) peccaverimus, post acceptam  
 experimentalem veritatis notitiam, vera hac & monadica hostia, CHRI-  
 STO, rejecta, nulla alia Levitica supererit, qvæ expiet. Manet interim  
 talismodi defectores tremenda expectatio judicii, Zelusque devoraturus  
 adversarii. *Quisquis enim legem Mosis aspernatus fuerit, absq; emise-  
 ricordia morti traditur, duobus aut tribu testibus existentibus.* *Quanto*  
*puratis*

putatis gravioribus suppliciis mactabitur, qui ipsum DEI filium concubat, illumque novi fæderis sanguinem, per quem sanctificatus fuerat, pro impiro habuerit, Spiritumque gratiae conuictus afficerit? Ebr. X, 22-29. Vos igitur, dilecti, moniti quippe, caede, ne juxta cum aliis, nefariorum errore abducti, excidatis firma illa vestra statione. 2. Pet. 3, 17. Memores estote Paulini illius Ebr. XII, 15. Attendite vobis, ne quis deficiatur a gratia DEI. Nequa radix amarulentia suppulans turbas conciteret, & per hanc inquinetur multi. Ne quis scortator aut profanus sit, instar Esavi, unico edulio jus primogenitura vendentis. Scitis enim hunc postmodum, hereditario jure benedictionem assequi cupientem, fuisse reprobatum. Locum enim menti, apud Patrem in melius murande, hanc invenit, quantumlibet per lacrymas eundem quaesiverit. Non vos Regeniti ad Sinaiticum montem, sed ad Sionem jugum accessistis! Videte ergo ne aspernemini eum, qui cælitus loquitur, CHRISTUM. Sunt namque instar Esavi recens nati, quotquot fidelium renati. Jus habent primorum liberorum, primatumq; in Ecclesia visibili, gemina his debetur portio statutaria, hujus scilicet & futuræ vitæ. Hanc abundantem & supereminenter Dei gratiam quisquis spreverit, ut rufo agresti & voluptatum pulmendo \* fratur; Hunc simplici, communii, & revocatrici gratia oportet vivere contentum, nec penes ipsum stat benedictionem abundantiorem, gratiamque inhabitantem, suo jure sibi arrogare, vendicare, repetere vel extorquere Patri cœlesti: Non nego huic relapso simplicem sufficientemque ad bene vivendum quadram: Precor autem ut meliori cum fructu

**Gen. xxvii,** successuve offeratur, quam quo pinguis gleba, cum rore cæli, &

**39. 41.** secundo post fratrem loco collata benedictio, ab Esavo fuit admis-  
sa; qui simplici hac benedictione, ex quo duplicitis decoctor

**\* Gen.** portionis extitit, ita abusus, ut ægre facturus parentibus extra-  
**XXVIII, 9.** neas deperire mulieres, \* fratrisque vitæ infidias struere, cœ-

perit. Velim ergo vos omnes, quotquot STANTUM  
(?)nimia de  
se non presu-  
mant. omine nomineque gaudetis, sub finem monitos: Operamini  
cum timore & tremore vestrammet salutem. Phil. II, 12. Certos  
vos dicitis de præsenti gratia! Benè, dum ex vero. Certos  
quod Deus velit possitque bonum, quod cœpit, opus consum-  
mare perficereque: Melius hoc, & indubitatum. Certos  
quod

quod vos Numen jubeat, in bono perseverare & præservare velit à malo. Et hoc optimè dicitur. Verum meminisse decet & seqventium: Constanti firmoque opus esse proposito, non desistendi à bono, non deflectendi ad malum. Equidem neminem deserit Numen, nisi prius deferentes. Sed & deserere DEum, non est adūator. Carnem circumfertis lubricam, Satanam habetis adversarium, Mundum pellacem in infidüs, & scandala per viam passim objecta. Hostibus hisce nibil, nimiumque ne credito Tibi Tuisque viribus! Ne Satane cibro \* vos executiendos DEus permittat. *Alta.* \*Luc. XXII.  
*cadunt, inflati crepant, tumefacta premuntur. Nemo præcipio est propior, sanctulo supercilioso, nimia sibi sumente, aut suis viribus tribuente. Per animam ergo cavete, quotquot convaluistis, recidivam ipso morbo deteriorem: Lapsos homines instaurare pluris constitit DEO, quam in integritate & ad imaginem suam primum condere. Templo Salomonum & citius & augustius primo confectum, contra Zoro-* Esr. III, 12.  
*babelis instauratio majori facta tempore & minori cum splendore. Nauci servos, \* post veniant impletarunt, conservum suum pessime habens, gravias panitur. Qui stigmata semel notatus, is depuduit, impactoque menti consciæ cauterio incipit occallescere. Aures quisquis adapertas habet & obturat, facile obscurdescet, vel ad rugitum. Oculos tenebris affvetos, serena lux excecat potius, quam ut illuminet. Per DEum ergo, per sacra vos obtestor communia. Nolite, viperino ausu, venientim peccatorum, quod semel placuit evomere, iterum resorbere.*

*AD LAPSOES.*

Quid vero tandem ex hoc Textu & Themate in vos, quotquot extra gratiam constitutos, aut ea excidisse conscientia coarguit, redundat emolumenti solatiive? Legimus, (a) ne despiceritis, audiimusque verba, eaque prima specie dura, tractatus tristia, qui ergo queant esse ulla ratione nobis læta? Impossibile est ut lapsi renoverentur ad pænitentiam: An ergo, hosti misericordiae & interfectori pænitentiae NOVATO, quem Patres,

tres, quem Augustanæ confessionis socii refutarunt, vietas  
 palmas dabimus? Absit & hoc. Præstat motos despera-  
 tionis fluctus componere! Scopum & objectum adhorta-  
 tionis Paulinæ decet observare. *Ad quos? & quo animo con-*  
*silioque scribat Paulus attendendum.* Loquitur *ad stantes*, lo-  
 quitur ad hos asperius? verum animo à relapsu deterrendi,  
 ut bene stantes, à securitate, à lapsu præcipiti, &, causa illius,  
 superbiæ typho, revocet. Hos gratia DEI rite utentes, ne  
 eadem abutantur ad scelera, territat quidem, sed sine omni  
 periculo desperationis. Ad aliam palæstram spectant *LAPSI.*  
*Si ad hos verba dirigeret* Apostolus, utique, more suo, *verteret*  
*mutaretque Styrum.* Servat namque, velut prudens in domo  
 Dei oeconomus, hoc monitum Judæ versu 23. *hoc discrimen:*  
*Lapsorum ut misereatur: Stantes autem cum timore velit servatos.*  
 Stantibus ergo ostendit gravitatem lapsus, ne labantur. Pro-  
 lapsos si fuisset allocutus, eosdem ablegasset ad Petram in  
 Israele positam, sed ad *divisa& uox*. Lapsos compellasset eodem  
 quo Angelum Ephesinum *Apoc. II, 4.* Servator allocutus fuit  
 sermone: *Hoc adversus te habeo, quod charitatem primam reli-*  
*queris. Memor itaque esto unde excideris? Cur vero? An ut*  
 desperes? Absit. Sed ut agas pœnitentiam, & prima iterum fa-  
 cias opera. Lapsos, si asperius agere placuisset, cœpisset  
 affari ore Petrino. *Act. VIII, 20-23.* Peccatum tuum tecum est  
 in perditionem. Non est tibi, pro nunc, pars aut sors in verbo hoc  
 Evangelico. Ecce vero? An quia DEUS vult perdere,  
 quia Evangelium negat, aut quia male versus pœnitentem  
 est animatus? Neutquam. Sed quia *cor tuum minus recte se*  
*babet erga DEum.* Igitur ne desperandum? Ne hoc quidem:  
 Fac autem istud: *Resipisci oꝝ tua malitia, & rogato DEum, an*  
*fors remittatur tibi mala cordis tui cogitatio?* Ergo, inquis, sub-  
 dubitat Apostolus de remissione? Fateor id, & largior: Sed  
 qua de causa? An Deo est *adjuvacio* remittere & convertere?  
 Nemo sobrius id asseveraverit. Difficultas omnis, causaque  
 dubitandi penes Simonem residet: *Cujus cor turget felle*  
*amarissimo & complexu injustitiae constrictum tenetur.* Paucis;  
 distin-

Distingue objecta, distingue auditores, & concordabit Scriptura. *Justo ad sceler a deflectenti, mortem minatur ; Impio ad justitiam redeunti, vitam promittit* Ezechiel Cap. XVIII. Alia voce Pater aufgientem *Acolastum* persequitur, alia reducem, & post iustum sapientem, compellat. Aspero sermone *fanos*, ne insanire incipient, corripimus *liberos*; blando ægros, ut recreentur & resipiscant: Ne securè navigans *nauterus* in scopulos arasque impingat, sonora elataque voce revocatur. Ne declinans a justo tramire *viator* præceps fiat pereatque, horrisono clamore eum invadimus. Contra vero facto naufragio, præcipitioque peracto, eosdem miti, flebili, & *συναθειας* plenissima Threnodia iterum, ne desperent, erigimus. Legales minæ inserviunt malo averruncando, Evangelicæ promissiones bono promovendo. Illas audit renatus sine noxa, has relapsus cum fructu. Resipiscere volentem fulmine Sinaitico non percellit DEus, nec deficere volentem demulcet Sioneis promissis. Pono jam quempiam vestrum tanto gratiarum divinarum excidisse fastigio: Quid heic pro Relapso vel consilii supereft vel auxilii?

Dixero:

Exquirito, exutito, quisquis es relapsus, abditos recessus, intimaque cordis Tui penetralia, quo constet tibi qualia ea sint, aut esse debeant? Inquirito ante omnia: An post tantum lapsum horreas lucem Patris, detesteris *domum* cœleste, horreas *participium* S. Spiritus, averseris *Evangeliū*? An post hoc flagitium *pergere* placeat, & perseverare? An averseris Filium DEI *crucifixum*, in eundemque fīshostiliter animatus? An postquam corde defecisti, opere crucifixisti, ore quoque *ludibrio* habuisti, id omne, ex quo factum est, adhuc allubescat? Hoc si affirmaveris, hoc si conscientia tibi exprobaverit, utique non solum *status tuus*, o! peccator, est deploratus, sed & spes omnis melioris vitæ planè decollat: Pro hac enim rerum tuarum conditione, res est desperata. Contra si exutiendo scrinia cordis tui deprehenderis contrarium, spes supereft. Tu ammet ergo per-

contare

(β) ut se probent.

contare mentem: An piget *defecisse*, tædet *cruçifixisse*, pudet  
*illusisse*? An gravis hic Satanæ susurrus? *Pecca.* *Perge.* *Perse-*  
*vera?* Si fuerit, neutiquam gratus, sed gravis. *Bene.* Spes  
 superest eximia! Porro sciscitare: An *tenebras* in quas in-  
 cidisti perhorrescas? An *spolium* à *Satana factum*, tuamque  
 inopiam detesteris? An averseris subinde *Commercium*, cum  
 impuro & ad scelera raptante *Genio*? An diras & maledicta  
*legis*, cum suspiriis gemitibusque persentiscas? An *tormina*  
*conscientiae*, in quæ post prægustum cœli incidisti, te cum sen-  
 sili dolore excrucient? Si ita est: Spondeo, spem superesse  
 de sic animatis; atque adeò eorum conversionem non esse  
 impossibilem, ut dicere haud verear, jam hoc ipso posita esse  
 rudimenta ad contritionem, quæ fidei est anteambulo.  
 Namque si verum apud se angorem lapsus senserit, si dolor  
 hic cum fremitu contra DEum non fuerit conjunctus, si  
 haud fuerit cœcæ desperationis tormentum, aut stridor  
 ejulantium desperabundorum: Si accesserit ad angorem,  
 subverecunda faciei confusio, & ingenua pœnitendorum  
 operum detestatio: Tum utique spem superesse spondeo,  
 animoque non esse despondendum jubeo. Inchoamentum  
 enim hoc est pœnitentiæ non pœnitendum. Maximè si pro-  
 lapsi incipient, repedando quasi, ad pristinæ probitatis api-  
 eem subrepere. O Læta in bono incrementa, si cœperis:  
 Primo quidem gradum sistere, scelerum cursui sufflamen in-  
 jicere, ludibria Crucifixo impacta abominari, atque horri-  
 pilari ad illecebras, quæ ad cadendum invitant aut necessi-  
 tant. Tum porro si cœperis deflere jacturam pristinæ dulce-  
 dinis, anhelare bonum verbum Evangelicum; Denique  
 auxilia gratiæ & participium Sacri Spiritus exoptare, quo  
 donum cœlestè degustes & luminis gratiosi radiis iterum  
 beeris. Hæc desideria, si extiterint intra præcordia: Scito  
 non solum spem superesse, sed insuper jam aliquid rei adesse.  
 Harum enim rerum quisquis primas lineas rudemque ide-  
 am, sed vivis depictam coloribus, in anima observaverit:  
 Hic credat velim se jam stare in repagulis, & in eo esse ut per  
 limia

luminis gratiae in ipsa irrumpat penetralia. DEUS enim, qui, velut fons & largitor omnis boni, hunc, debilem licet adhuc, appetitum pristinæ felicitatis excitavit, idem quoque suscitabit deinceps eosdem igniculos, donec, post sacram hanc fainem, sitimque, enixissimum oriatur Dei Christiq; desiderium; qvod, si non ipsissima fides est, certe grande fidei autoramentum. Tum quippe, quod lapsus est a dūvātor, DEUS, qui perstat perpetim, ipsem faciet. ILLE aratum legis sustinentia, semen Evangelii suscipientia, cœlestis favoris nimbos sitientia corda, utut perplexissimo senticeto fuerint hactenus similia, ita emollet, ut ferant fructuum affatim, operumque suorum proventum tandem comedant in perennatura æternitate. Quicquid enim vobis homuncionibus est impossibile; Id potest, quod nihil non potest, Numen cunctipotens. Hoc faciat; quod vestra fieri interest, & Fiet! Amen.

## SUSPIRIUM.

VII.

Tu vero, Pater supreme, qui habitas in luce inaccessa, Paterq; ORATIO. audis lumen, illumina sis tenebras nostras, & errores operaq; tenebrarum protinus fugato. FILI DEI vivi, cœleste & supremum Patris donum, dona te nobis, da fidem quò credamus, auge fidem ut te susceptum retineamus, quo scilicet videamus & gustemus, quam suavis Tu sis o DOMINE. O Spiritus benigne, fac per Christum tui evadamus, maneamusque participes. Habitata & ambula in nobis TRINUNUM NUMEN. In primis fac medullitus sentiamus dulcedinem verbi Evangelici, & ea degustata, cum parrhesia exultemus! Edulca, quæso, fel virulenti, quod vivimus, seculi; crucis inamarescens molestias, gustu illo virtutum cœlestium lenito. Ut instar Jonathanis melle Evangelii prælibato, novum oculilumen, novum robur artus nanciscantur, atq; sic refocillati fortius in Allophylos insurgamus, donec fuerit debellatum. Interea nos perducito quo usque hac in parte aut Tibi placuerit, aut nobis profuerit. Da luminis, da fidei, da spiritus, da suavitatis tantum sensum quantum sat tibi visum, nobisque salutare fuerit. Dum assequamur culmen illud bonorum, quod pro tuarum gratiarum modulo fas est attingere. Grates interea immortali Tibi, omnis boni auctori,

G

solvi-

solviūnus immortales, quod stantes nosmet per convertentem gra-  
 tiam duxeris de virtute in virtutem. Largire autem PATER  
**OPTIME & Maxime** plus, ultra id quod dedisti indebité. Con-  
 cede sis post convertentem gratiam, *donum perseverandi in bono,*  
 & bonum Tuum, qui à lapsu *preservat* volentes, Spiritum im-  
 pertire. Ne scilicet quisquam nostrum, maximo suo malo, ex-  
 periatur, quæ quantaque mala maneant à Deo vivo *desciscenes*,  
 & in peccata proæretica conscientiamque devastantia proci-  
 dentes. Accensam quæso *luculam fidei* servato, ne per tenebras  
 scelerum errorumq; obruatur extingvaturq; Languentem no-  
 stræ fiducia manum, novo armato robore, quo quod accepimus  
 semel clinodium, ad nostram usque *ἀπολύτησιν* retineamus  
 firmiter. Refocilla sis remissos, ob carnis conjugium, *Spiritus*  
*nostros, copia sacri Tui Flaminis*, eumque serva in nostris visceri-  
 bus. Abstergito obrepentem sæpiissimè, ob copiam qua abun-  
 damus, Evangelii naufragium. Et, ne ad fanguinem ultimumque  
 usque Spiritum resistentes depugnantesque, lassatas in sinum  
 manus demittamus, *brabeo illo cœlesti*, quod eminus cernendum  
 prostat, nos erigo, quo, re quasi conclamata, novos ad cer-  
 tandum animos sumamus. Firma sis, o Petra nostra, gressus  
 nostros *ne cessitemus* in via, aut *præcipites ruamus* per invia.  
 Fræno errantes regito, sufflamineque injecto ruentes à pro-  
 lapsu revocato. *Oculos illumina intellectus*, quo Christum sem-  
 per videamus crucifixum, & nunquam iterum crucifigamus ride-  
 amusque. Denique, & ad vivum & profundissimè, mentibus  
 insculpito nostris quanti Servatori nostro, nostra constiterit  
 redemptio. Tandem, o Tersancta TRIAS, TE supplex adoro venerorq;  
*Stillare jube verba tua, super hoc agre, vineaque tua.* Exaudi Sponsoris  
 nostri, measque, quas ipsius meritis fidens facio, (cætera servorum Tu-  
 rum abjectissimus,) preces & suspiria, prostantibus pariter & lapsis. Ut  
 illi persistent, hi resurgent. *Illi* utiles sibi, Dominoq; gratos, ferant fructus,  
 hi noxios inutilesque mittant. *Illi* benedictionem nanciscantur, hi à  
 maledicto & flammis absolvantur. Atque sic, quotquot heic adsunt, per  
 Tuam Pater gratiam, Tua Nata merita, Tua Sancte Spiritus auxilia, ser-  
 vati ab interitu, serventur ad salutem æviternam. Hoc fac Domine,  
 & benedic, ob semen benedictum. AMEN !



**Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!**

48 1. Nov. 1999

22. Jan. 2009



2 0546519

